

Johann Affelmann Daniel Spalchaver

**Illustrium Quaestionum Theologicarum Heptas : I. An libri nonnulli e Biblico
Canone perierint? II. Scriptura, ab haeretico, pravo sensu, allegata, an verbum
Dei sit & maneat? III. Utrum unum & idem Scripturae dictum plures literales
sensus admittat? IV. Quid, in oppositione Apostolica, notent, Litera & Spiritus?
V. Num primores illi, de quibus Joan. 12. v. 42, habuerint fidem iustificantem? VI.
Quantum nov-antiquae opinioni, de felicitate Novi instantis in his terris millenarii,
tribuendum sit? VII. An mundus secundum substantiam sit interitus?**

Rostochi[i]: Ferberus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn757186661>

Druck Freier  Zugang



Diss. theol.

Spalatinus

B. Theol 4004 caps. 6



1114. 14.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn757186661/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn757186661/phys_0002)

DFG

Illustrium Quæstionum THEOLOGICARUM HEPTAS,

Landes-Bibliothek
Rostock i. M.

- I. An libri nonnulli è Biblico Canone perierint?
- II. Scriptura, ab heretico, pravo sensu, allegata, an verbum Dei sit & maneat?
- III. Utrum unum & idem Scripturæ dictum plures literales sensus admittat?
- IV. Quid, in oppositione Apostolica, notent, *Litera & Spiritus*?
- V. Num primores illi, de quibus Joan. 12. v. 42, habuerint fidem justificantem?
- VI. Quantum nov - antiqua opinioni, de felicitate Novi instantis in his terris mille-narii, tribuendum sit?
- VII. An mundus secundum substantiam sit interitus?

DEO, TER OPTIMO, TER MAXIMO,
BENIGNE JUVANTE,

Explicata, & ad placidam sententiarum collationem,
publicè proposita

P R A E S I D E

JOHANNE AFFELMANNO

SS. Theologiæ Doctore, ejusdemq; in Academia
Rostochiensi Professore ordinario,

R E S P O N D E N T E

M. DANIELE SPALCHAUERO Rostochiensi.

In Auditorio magno: 13. Junii horis matutinis.



R O S T O C H I

Literis & Impensis meis excudi Augustinus Ferberus Jun.

ANNO M. DC. XIIIX.

VII



Q V A E S T I O I .

An libri nonnulli è sacro Bibliorum
canone perierint?

I.

Pagina scripturæ divini capsula verbi est.
Quam qui cum Rabbinis, horumq; amulis Pon-
tificiis, imperfectionis postulant, nec efficientem e-
jus causam, quæ est Deus; nec materiam, sive subjectum,
nempe res divinas; nec formam, quæ est veritas divina; nec
finem, Dei scil. gloriam, hominumq; ad salutem consequen-
dam, institutionem, satis intelligere videntur. vide 2. Tim. 3.
v. 15. 16. 17.

2. Orthodoxa nostrarum Ecclesiarum sententia est:
Quæcunq; sunt nobis ad æternam salutem adipiscendam ne-
cessaria, ea omnia proponi in scripturis sacris, libris nempe Pro-
pheticis & Apostolicis, & ex solis illis discenda esse. Hoc est, di-
cimus scripturam sacram esse plenam & perfectam fidei &
cultus divini regulam, & viæ ad Deum nostræq; salutis in Deo
indicem perfectissimum, controversiarumq; Theologicarum
directive & definitivum judicem certissimum.

3. Heterodoxa Pontificiorum Ecclesia sententiam
hanc totis impugnat lacertis, imperfectionis scripturam accu-
sans, & quæ consideratur intensivè, vel essentialiter, quoad
dogmata, moresq;; & quæ consideratur extensivè, vel acci-
dentaliter, quoad libros in quantitate. De posteriore reperti
sunt hodie ex Jesuitis profani Alastores, qui calumniaren-
tur, scripturam sacram mutilam esse, multis codicibus, ob Ju-
dæorum incuriam & perfidiam, destitutam, nec ab similem li-
bellis puerorum Alphabeticis, è quibus nunc hinc nunc alien-
de sunt excerptæ pagina, aut mercatorum adversariis, diariis

¶ macrocollis laceris dissectis & projectis. Quin imperfectionem scriptura posteriorem, quam esse dicunt in Quantitate, impedio urgent, ut priorem, quam esse dicunt in scriptura essentialiter considerata, eò firmius evincant. Ita enim argutatur, qui novit BELLARE MINUS l.4. de verbo Dei c.4.mihi p. 263.264: vel totus canon est sufficiens, vel singuli libri per se. Non potest dici, quod singuli libri sint sufficietes, nam tunc falsum esset, quod dicit Chemnitius, traditionum usum fuisse in Ecclesia usq; ad complementum totius Canonis scripturarum. Præterea non singuli Evangelistæ omnia continent. Item, si unus liber omnia continet sufficienter, quid opus fuit tot libris? Deniq; ipsi (Lutherani) apertere dicunt, totum Canonem esse necessarium ad hoc, ut sufficiens doctrina habeatur. At neq; id verè affirmari potest: Nam multi libri verè sacri & Canonici perierunt. Igitur non habemus nec habuimus à mille quingentis annis sufficientem doctrinam, si tota sita est in scripturis. Hactenus Bellarminus. Confer belli Bellarminiani Camillum D. Gretserum tom. i, defens. Bellarminianæ pag. 1562. 1563. & seqq. Pererium prefat. in genes. pag. 4. itemq; Überum in apologia contra D. Cramerum p. 58. & seqq., operose admodum thema hoc de amissis libris urgente.

4. Quibus respondeo 1. Totum dici tripliciter: secundum quantitatatem, secundum perfectionem rationis & essentialis suæ, & secundum virtutem. Priores duos modos fesuitæ confundunt. Fac enim, aliquos libros de Canone periiisse, nihilominus tamen essentialis ejus perfectio, & substantia scripturæ manet, per singulos libros tanquam partes diffusa; quæ essentialis perfectio consistit in rei tractatae sufficientia, non in librorum numero. Itaq; si res tractata, h. e. doctrina dogmatum & morum perfectè continetur in scriptura, dicitur illa meritò esse essentialiter perfecta, tametsi contingere, ut omnes libri

libri non extarent. Non si libri deficiunt, etiam articuli fidei
deficiunt. 2. Canonis integritas & perfectio non consistit in
numero & multiitudine vel paucitate librorum, sed in unica
paterna, provida & sapientissima Dei voluntate, quae quovis
tempore tantum cœlestis doctrinae communicavit humano ge-
neri, quantum ad aeternam salutem necessarium erat: Hinc
alio tempore pauciores, alio plures libri Ecclesiae divinâ vo-
luntate traditi sunt. 3. Aliud est, totum canonem sufficere ad
doctrinam, quod nos dicimus, aliud, totum ad hoc necessarium
esse, ut doctrina sit sufficiens. 4. Singuli libri sunt sufficientes
sufficientia partium, ad quam ordinatae sunt, & sufficientia
suâ itidem essentiali, h. e. doctrinae, quam tractant, perfectio-
ne; secundum verò rationem integram & quantitatem, nō
habent sui totius sufficientiam, sed suam. 5. Nego a. tibi,
lacerto se Jesuita, quod, liberalitate non necessariâ, quidam ex
Orthodoxis concesserunt, nego, inquam, ullum librum è Ca-
none periisse. Distinguo inter Biblicum Codicem & Biblio-
cum Canonem, inter libros sacros vel divinos & Canonicos,
inter fidem historicam & salvificam. Ex Codice Bibli-
co libros periisse, libros sacros & divinos periisse, concedo,
quod præter Orig. præfat. in homil. in cantic. cantic. August. de
civit. Dei lib. 18. c. 38, etiam Eucherius in libros Regum pag.
45. 148, & Drusius in epistolis pag. 190. 191. 192. contéidunt:
ex Canone Biblico libros periisse, libros canonicos periisse,
nego: fortassis fides historica patitur defectum, sed non sal-
vifica. Si qui ergo libri perierunt ex sacris, ex Canonicis non
fuerunt, si vel authore Deo scripti sunt: alioquin veteris Ec-
clesiae diligentissimâ curâ, quæ quanta in aſſervandis libris Ca-
nonicis fuerit, vel sola historia rerum, aduersus eos, qui T R A-
DITOR E s. dicti sunt, gestarum ostendit; immo & divinâ
providentiâ custoditi fuissent; & non perditii; vel Deus suo
excidisset fine, quod dicere oppido absurdum est.

5. Nempe tria spectant ad Canonem, 1. ut immediate
à Deo scriptori scriptum inspiratum sit. 2. ut scriptor imme-
diatè sit à Deo vocatus. 3. ut œcumonica & continentis suc-
cessione ab autographo de testificatione constet.

6. Non desunt tamen, qui contra sentiunt, etiam ex
vetustis Patribus, partim historiam, partim exempla addu-
centes. Historiam qui adducunt, de libris sacris aliquid exci-
disse putant Manassis, aut deportationis Babylonicae, aut An-
tiochi Tyranni tempore. Resp. 1. Dicit quidem historia,
authenticum legi librum regnante Joschija in domo Dei in-
ventum esse, 2. Reg. 22. v. 8: item, ubi cunq; liber legis inventus
est, eum Antiochi Epiphanis mandato igni fuisse traditum,
1. Macc. 1. v. 59 60, sed nusquam dicuntur omnes cremati
esse, nec ullus superfuisse: itaq; nullum est dubium, quin pii
aliquot penes se veram & incorruptam sacrorum librorum
fidem conservarint. 2. ut maximè illud diceret historia,
(quod hactenus cognoscere nobis non licuit) illud xata n'opor-
teret accipi, & ad sua loca & tempora piè restringi, non ad o-
mnia exempla pertrahi.

7. Nam quod 4. Esd. 14. v. 24. & seqq. legitur, libros le-
gis intercidisse planè tempore transportationis Babylonicae,
quos post captivitatem denuo, divino percitus afflatu, postquam
nescio quem syrump bibisset, scripserit Esdras; (quam sen-
tentia etiam è Patribus non pauci, è recentioribus autem
celebris ille Politicus Gregorius Tolosanus l. 12. de Republica,
euentur) id fabulosum esse, non ex 2. Mac. 2. v 5, ut quidam vo-
lunt, nam & ille locus anile figmentum continet; sed ex Ne-
hem. 8. v. 2. 3. Dan. 9. v. 2. 11. Esa. 45. v. 1 certum est. Quan-
quam in scripto Esdræ, quod Theodorus Bibliander & quidam
alii hujus seculi fanatici dicunt esse Canonicum, numerus o-
stendat alludi ad Thalmudicos libros potius, quam Bi-
blicos.

8. Exem-

8. Exempla quæ objiciunt, sunt vel ex veteri vel ex novo instrumento. De instrumento Veteri D. Chrysostomus cum incideret in illud Matth. 2. v.23, Habitavit in civitate, quæ dicitur Nazareth, ut impleretur quod dictum est per Prophetas, quod Nazareus vocabitur, existimabat, testimonium hoc sumptum à Prophetis, qui perierunt. Idem suspicatur Euthymius. Verba Chrysostomi homil 9. in Matth. pag 85 hæc sunt: *Quis igitur hoc afferuit Prophetarum?* Nequam scruteris ista, neq; in rebus ejusmodi esto curiosus. Multa enim ex Propheticis periere monumentis. Theophylactus etiam aut libros intercidisse respondet, per Hebraorum incuriam, aut oretenus ἀρχαφως id olim ad Judæos fuisse dictum. Sed nihil opus erat talium φαρμάκων. Hieronymus linguae Hebraicæ peritior, venustè & scitè id eduxit, ex Esa. 11. v. 1, (vide & Esa. 60. v. 21. Zach. 6. v. 12.) alii ex Gen. 49. v. 26. Num. 6. v. 12. Iudic. 13. v. 5: quam posteriorem interpretationem, præter omnem rationem, licet sub ejus parma delitescat, rident Piscator in Matth. pag 26.

9. Alii in specie amissos libros exprimunt. ubi, inquiunt, est liber justorū sive recti, de quo Jos. 10. v. 13. 2. Sam. 1. v 18, ubi liber Achia Silonitis, de quo 2 Par. 9. v. 29, Propheta Addonis aut Hiddonis 2 Par. 9. v. 29. c. 12. v. 15. c. 13 v. 22: ubi plures alii, de quibus expressa est in libris Josuæ, Samuelis, Regum, Paralipomenon, &c. mentio? Relp. De singulis libris in specie iudicium nostrum, rogati, in disputationis actu prolixius exponemus. Hoc loco annotabo observationem quadruplicem, ex qua ad exempla hactenus è U. Instrumento objecta responderi potest. I. est: Vox Hebreæ נָבָן non librum tantum significat, quemadmodum, qui à nobis dissentunt, locis omnibus interpretantur, sed & libellos & catalogos & recensiones breves complectitur. Exempla è Lexicis describi possunt, vide a. in primis Gen. 5. v. 1. Nekem. 7. v. 5. in hac vi-

hoc vitium incurritur Num. 21. v. 14, ubi recensio bellorum
Jehovæ, non est aliquis liber seorsim de hoc argumento conscri-
ptus, sed breve scriptum & cantionis formula, ad canonem nō
pertinens, recepta tamen in populo Dei, quemadmodum alia
nō ab similia v. 17 & 27. ejusdem capitinis adducuntur. II. Li-
bri, de rebus naturalibus, de actis publicis seu forensibus, an-
nales forenses, non sunt confundendi cum libris Deo auctore,
Ecclesiæ traditis, & ad corpus scripturæ sacre canonice perti-
nentibus; illos interiisse, non nego, sed hos. Hæc autem confu-
sio est in quibusdam exemplis. Huc refero cum Andrea Ma-
so, in historiam Josuæ pag. 189. edit. Antwerp. anno 1574,
librum justorum, vel, ut alii vertunt, recti, Jos. 10. v. 13. 2. Sam.
1. v. 18, per quem Hieronymus librum Samuelis, Judæi librum
Geneseos, quibus hincum mulgentibus cribrum hic supponit
Lyranus, alii librum 12. Prophetarum accipiunt. Item li-
bros Chronicorum Regum Israëlis & Judæ, 1. Reg. 14. v. 19. c.
15. v. 7, & alibi paſsim. Hanc enim esse veram interpretatio-
nem ostendit locus 1. Reg. 11. v. 41. item Salomonis de herbis &
fruticibus eloquia, 1. Reg. 4. v. 32. & seq. Neq; enim quicquid
Salomo scripsit, Canonicum fuit, sed quicquid ut authenti-
cus Dei notarius scripsit. III. Sæpe apparet libros amissos,
qui tamen amisi nunquam fuerunt; sed in manibus sunt o-
mnia. Sic verba Samuelis, Nathanis, & Gadis 1. Par. 29. v. 29,
comprehensa sunt duobus libris Samuelis, quorum partem sin-
guli descriptam Ecclesiæ tradiderūt. Sic libri Achiae 2. Paral.
9. v. 29, Semajæ 2. Par. 12. v. 15, Hiddonis 2. Par. 9. v. 29. c. 12. v.
15. c. 13. v. 22, aliorumq; Prophetarum, qui Deo auctore, &
dicio ac consensione Prophetarum, in cœtu Ecclesiæ historiam
sacram populi Dei ex temporum serie continuaverunt, & de
scripto, testificante Domino, Ecclesiæ tradiderunt: que His-
tiæ sacrae continuatio, suppressis eorum, à quibus scripta est,
nominibus, in iis libris congregata legitur, qui paternâ Dei pro-
viden-

videntia ad nostras manus pervenerunt. Nam i. Sam. 25. v.
1. moritur Samuel. Quis ergo reliquum prioris & totum po-
steriorum Samuelis librum continuavit? quis libros Regum? ut
& Paralipomenon? certe illi ipsi, quorum scriptura meminit,
Nathan, Gad, Achija, Hiddo, &c. Sic librum Samuelis, de ju-
re Regis & Regni i. Sam. 10. v. 25, quidam interiisse scri-
bunt: contra, jus regni in scriptura esse, per equipollentiam,
annotant alij, cum extet Deut. 17. sed malim illos ipsos li-
bros Biblicos Samuelis intelligere: in illis enim extat jus re-
gnic. 8. IV. Quædam allegantur in N. Test, non ex V.
Test. libris, sed ex indubitata majorum traditione: non qui-
dem ob scripturarum indigentiam, & ad probanda fidei do-
gmata, ut Pontificij suas allegant traditiones, sed ut Apo-
stoli ad captum hominum se quoquo modo accommodando, eos,
melius vel commoverent, vel convincent. Huc refero locum
2. Tim. 3. v. 8, de quo tamen, ob Plinii verba tom. 3. op. mihi
p. 116, alii aliter sentiunt, & in Epistola Iude v. 14.
Quanquam enim Dn. Mylius p.m. intercidisse putet, scri-
ptum Enochii Propheticum sup. 1. ad Corinth. p. 101, &
Daneus Enochum scripsisse librum aliquem contendat con-
tra Bellarm. pag. 79, idem & cum Danao plures, auctoritate
forte Tertulliani decepti, velint, è textu tamen id ostendit ne-
quit, in quo dicitur, prophetavit, id est, prænunciavit, pre-
dictit; de scripto nullum verbum.

10. Ex Novo Instrumento non minus exempla pro-
ducunt. Ajunt enim ex eo perisse 1. epistolam Pauli
ad Corinthios tertiam, vel potius, primam, ob locum 1. Cor. 5.
v. 9. Scripsi vobis in Epistola. 2. priorem ad Ephesios, ob
locum Eph. 3. v. 3. Sicut supra scripsi in brevi. 3. epistolam
ad Laodicenses, cuius mentio fiat Colos. ult. v. 16. Resp. 1. Je-
suita Salmeron tom. I 3. tract. 2. & 3., de tertia vel potius
prima ad Corinthios, & illa quæ ad Laodicenses scripta est,

B

negat

negat illas periisse, cum quo reliqui ejusdem societatis transi-
gant. 2. Circa priorem ad Corinthios videas se fatigare in-
terpretes. Chrysostomus, Theodoreus, Oecumenius, Theophy-
lactus, Photius, Salmeron, Polanus, Junius, aliiq; hos, magno
numero, secuti, existimant, Paulum eam ipsam priorem epi-
stolam ad Corinthios intelligere, ex qua locus hic objicitur,
non novam aliquam; ita ut hisce verbis repeatat Apostolus &
declareret, quod c. 5. v. 2. & r̄ scripsérat. Ne tamen videamur
θεον φυλάττεν, fateor, probari mihi sententiam Ambrosij, tom.
5. oper. pag. 257, Mylij, in 1. ad Corint. p. 100, Hunnij, in epist.
ad Corint. p. 171, Rungij disp. 6. in Epist. 1. ad Corint. p.
432, Luca Osandri in glossis pag 465, Gesneri in 2. Tim.
3. v. 6 litera Q, Bezae in annot. major. p. 122, Calvinii & ex co-
Marlorati in N. Test. p. 102, Parei ad Cor. p. 263, Drusii in
præterit. p. 217, quo & inclinat Estius tom. 1. pag. 294, 295,
nempe, primam epiſtolam, quæ ab Apostolo ad Corinthios
scripta fuit, nos non habere, sed tantum secundam & tertiam;
primam illam, quam hic citat Apostolus, publicam Ecclesiæ
lucem non vidisse, & quamvis ex authore Canonica satis fu-
tura fuerit, si publicè innotuisset, in Canonem tamen non ve-
niſſe, cùm perierit prius, quam Ecclesiæ innotuerit. Nam
quo minus prior mihi probetur sententia, præter alia argu-
menta, inde est, quod non obscurè Apostolus v. II. hanc epi-
stolam, quæ vulgo prima dicitur, priori opponit. 3. De Epi-
stola ad Ephesios non desunt ex nostris, nec desunt è Calvinia-
nis, qui Apostolum Paulum aliam ad Ephesios Epistolam scri-
psisse putant: sed rectè Oecumenius & Hieronymus sentiunt,
verba c. 3. v. 3, accōmodanda esse ad superiorē partem capi-
tis, h. e. ut interpretor, ad hanc ipsam Epistolam, capite primo:
quam sententiam è Jesuitis probat Vazquez in para-
phr. pag. 107, è Calvinianis Aretius in comment. pag. 257,
Piscator in comm. lat. p. 1137, vel conjunctim capite primo
& se-

& secundo, ut Flacius in gloss. pag. 934, Zanchius tom. 6. p. 94, Rolloc. pag. 148. existimant. 4. De Epistola ad Laodicenses variae sunt tum Patrum tum recentiorum sententiae: alii enim, lectione græcâ ducti, in Laodiceas, quæ est ex Laodicæa, non intelligunt epistolam Pauli ad Laodicenses scriptam, sed Laodicensum alicujus ad Paulum: ita Chrysostomus, Oecumenius, Theodoreetus, Balduinus, Behnius, Catharinus, Salmeron, Kimedoncius, Tossanus, Polanus, Witackerus, Confer Drusium in præteritis pag. 200: Alij esse eam priorem ad Timotheum, quæ ex Laodicæa scripta est, ita Theophylactus, quem pleriq; sequuntur: Alij Epistolam peculiarem fuisse Pauli ad Laodicenses, quæ perierit, Ita Dn. D. Hoe, Lucas Osiâder, Weinrichius, Bellarmenus, Gretserus, Uberus. Et Bellarminus quidem certum esse ait, Paulum epistolam scripsisse ad Laodicenses. itane? Quid ergo fiet de verbis collegæ tui, Bellarmine, Cardinalis dico Baronii, qui in epit. annal. anno Dom. 60. p. 52, Paulum, inquit, scripsisse Epistolam ad Laodicenses, Verum non est. Alij intelligi quidem peculiarem ad Laodicenses, sed quæ non perierit, verum hodieq; extet. Ita Alphonsus Salmeron, & ait Sextus Senensis l. 2. Biblioth. sanctæ fol. 92, se Patavij in Bibliotheca Johannis à viridario vidisse exemplar. Sunt, qui ex Bibliotheca Sorboniana Parisensi hujus epistole etiamnum exemplum producunt. Et ipsi habemus exemplum hujus epistolæ (aliquatenus tamen ab eo, quod Sextus Senensis produxit, devians) excusum Hamburgi anno 1595 curante Stephano Prætorio. Marcion olim ejusdem exemplum producebat, quod Epiphanius negat esse Apostolicum, hæresi 42. fol. mihi 123. edit. Basii. anno 1578. Ego cum videam singulis hisce sententijs opponi posse considerationes non contemnendas, dicam, salvo aliorum iudicio, quid mihi videatur. Existimo per epistolam ex Laodicæa (interpre-

tes de suo addunt, quæ scripta est) quam vult Paulus legi Cori-
loßis, intelligi epistolam scriptam de Onesymo ad Philemo-
nem, qua hodieq; legitur in textu Biblico. De qua sententia
non dubitabo candidè judicaturos, qui è textu, loci, persona-
rum & temporis circumstantias diligenter expenderint.

II. Ut rei totius faciamus compendium: eos libros
duntaxat Spiritus Sanctus ad Canonem constituendum ser-
vatos voluit, quos ad firmandam veritatis doctrinam, & con-
stituendam Ecclesiæ formam vidit esse necessarios. (vide Jo-
an. 20.v.31.c.21.v.25.) alios autem, qui vel in usum ecclesiæ
rum quarundam peculiariter scripti fuerant, vel illis potissi-
mum temporibus serviebant, interire passus est, tum ne Eccle-
sia multitudine scriptorum gravaretur, tum ut curiositatæ
humanae modus statueretur, in investigandis iis, quorum co-
gnitio posteris seculis parum profutura erat.

Q V A E S T I O I I .

An scripture, ab Hæretico, pravo sensu, allegata,
vel, an scripture, cum hæreticus eam eloquitur,
verbum sive vox Dei sit & maneat?

1. Trismegistus part. 2. pim. ferm. 3. (quod & Sto-
bæus refert, ferm. 10) contendit in terris non dari veritatem,
ob rerum humanarum instabilitatem: ita novi quidam cen-
sores & Bibliomachi, in hæreticorum citationibus non dari
scripturam divinam putant, ob hæreticorum depravatum
intellectum.

2. Quæstionis enim propositæ negativam tuentur &
Pontificij Hosius, qui, contra Brent. l. 3. p. 551, Quando, in-
quit, aliquis scripturam profert, qui non est Catholicus, non
profert verbū Dei, sed Diaboli. Similia invenies, apud Cani-
sum, Stapletonum, Pistorium, Mulhusinum. è Calvinianis Keckerman lib. 1. Syst. Theo. c. 9. mihi p. 193. & seqq.
Nulli

Nulli, inquit, hæretici & heterodoxi unquam citarunt aut
citant verbum Dei. Similia videris apud Pareum. Quibus
addo Danielem Hoffmannum.

3. Nos quæstionis affirmativam cum Augustino de
unit. Eccles. c. 3. part. 1. mihi p. 625, D. Mentzero disp. 3. Antipi-
stor. thes. 26. pag 84.85, & in apolog. primæ disput. pag. 462,
nostram facimus. In cuius decisione cordatos offendere non
potest, quod scripturam promiscuè vocamus Dei vocem &
verbum: nam quod quidam, subtilitate Bœoticâ, scripturam
quidem esse verbum Dei, sed non Dei vocem argutantur, id
vel unus locus Act. 13. v. 27 refellit. Probatio affirmative
est tantum quadruplex.

4. I. Scriptura quam Pharisæi in Cathedra Mosis
profitebantur, aut erat vox Dei, aut Diaboli. Si vox Dei,
ergo scriptura ab hæreticis (tales enim erant Pharisæi) prola-
ta non definit esse vox Dei: si vox Diaboli, sequeretur Chri-
stum Iudæos ad vocem Diaboli remisisse, cum eos ad Pharisæ-
os in Cathedra Mosis sedentes alegarit, Matt. 23. v. 3.
Absurdum!

5. II. Scriptura quatenus ab hæretico profertur, aut
manet in se divina, aut non manet: si manet, ergo non est
vox Diaboli; si non manet, ergo quod internum & simpliciter
per se est, ut divinitas scripturæ 2. Tim. 3. v. 16, mutari po-
terit externo hoc accidente, nec semper se eodem modo habe-
bit, falsa itidem erit, quod absit, assertio, quam ipsi Jesuitæ, ut
Mulhusin. in animad. contra Pareum, ponunt, ipsi Cal-
viniani, & rectè, approbant: quod scriptura in se maneat di-
vina, et si pro tali non agnoscatur.

6. III. Urgemus effatum Apostolicum: hominum in-
credulitas, & nisi, fidem Dei non facit irritam. Rom. 3. v. 3.

7. IV. Simul considerari petimus, Baptismum colla-
tum ab eo, qui in articulo quidem Trinitatis sincerus est, in a-

līs verò capitibus religionis à sinceritate fidei deflectit, verum & ratione substantiae integrum esse Sacramentum, ut concors non modò orthodoxorum, sed & Pontificiorum Calvinianorumq; est sententia. Unde sic concludo: Si hominum ejusmodi opinia non tollitur Baptismus, nec verbum Dei, ab heretico enunciatum illā tolli poterit. At prius est. Ergo.

8. Regerunt 1: ideo scripturam ab Hæretico prolatam non esse verbum Dei, quod eam in vero non producat sensu. Keckerm. p. 194. Resp. 1. Quis verò ferat talia. φάσματα & θάρατα? Nam si scriptura ab Hæretico usurpata non est verbum Dei: non rectè dicimus hæreticos scripturis abuti. Ratio: quia abusus rei per se honestus est. At abutitur hæreticus scriptura, vel, ut tu loqueris, non producit eam in vero sensu. 2. Distinguo inter scripturam, & id, quod circa illam committitur. Scriptura est verbum non hæretici, sed Dei, circa eam commissa depravatio est non Dei, sed hæretici. Cum enim 3. Finis non ingrediatur ipsam rei essentiam, sed sit causa externa: igitur res ipsa esse potest, ut maximè non adhibetur ad verum suum finem, sed ad abusum torqueatur, trahatur. 4. Illustro simili: Sicut aurum non ideo est argentum, quia pro argento venditatur, sed ille fallitur, qui aurum pro argento reputat: Sic scriptura non definit esse verbum Dei, quia non vero sensu aut usu citatur, sed is duntaxat fallitur, qui alienum ejus sensum pro vero reputat: quod tribus modis fieri Rupertus l. 3. de Trinit. c. 3. annotavit, sc. appositione, diminutione & immutatione.

9. Personatus quidam Achilles objicit Augustinum ex tract. 27. in Joan. p. 286. tom. 9. oper. At, inquam, hic te jugulat. Affirmat enim, verbis à te citatis, Dei verbum semper esse spiritum & vitam (intellige, per se) quocunq; modo ab aliis intelligatur. Intellexisti spiritualiter inquit. Spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa Spiritus & vita sunt, sed TIBI non sunt. Quæstio

Q V A E S T I O I I I .

Utrum unum & idem scripturæ dictum plures literales sensus admittat?

1. Literalem scripturæ sensum illum esse, qui à Spiritu sancto intenditur, afferunt è Pontificiis Abulensis q. 28. in c. 13. Matth. tom. 2, Burgensis in addit. 1. ad prol. Lyræ, Salmeron prolegom. 7. tom. 1. pag. 77, è Calvinianis Arminius disp. 9. privat. thes. 1. p. 14. Absurdè! Nam, non solum ex literali, sed etiam ex tropica verborum significatione dicentis intentio intelligi potest, & in parabolis omnino debet.

2. Rectius è Pontificiis Pererius tom. 3. in Genes. c. 15. v. 5. disp. 1, è Calvinianis Andreas Hyperius lib. Method. Theol. p. 65, literalem sensum eum esse dicunt, quena verba Spiritus S. in propria & nativa significatione accepta gignunt. In hoc enim ipso ab aliis duobus scripture sensibus distinguitur. A figurato, quod hic verba translate, ille autem propriè intelligit. A mystico, quod hic ex rebus ipsis alias res spirituales, iste verò ex verbis propriè intellectis Spiritus S. sensum venatur & colligit.

3. De hoc sensu literali queritur: an unum & idem scripturæ dictum plures sensus literales admittat? Affirmat Bellarminus lib. 3. de verb. Dei c. 3. Azorarius dicit communem esse hanc Theologorum sententiam, lib. 8. inst. c. 2, quam pluribus explicat Burgensis in addit. 1. ad prolog. Lyr., Alphonsus Salmeron autem adductis in medium exemplis probat proleg. 8. tom. 1. oper. p. 79. Quibus accedit Goclenius in probl. Rethoric. q. 61. & 62.

4. Nos negativam tuemur, idq. I. quia opinio affirmans absurdâ est: dum uni verbo plurimas formas & significationes, easq; essentiales, assuit. II. quia periculosa est. Nam si una vox plures admittit literales sensus, tunc non amplius est vox univo-

univoca, sed equivoca, ut qua jam plura significet, nec hoc
magis quam illud. Unde ex ejusmodi Homonymis scriptura
verbis efficax argumentum astrui non posset.

S. Exempla tamen adducit Alphonsus, quibus assertio-
nioni fidē faciat. Videamus quatuor potiora, è quibus reliqua
dijudicari poterunt. Primus locus, qui plures admittat sen-
sus literales, est Ps. 2. v. 7: Filius meus es tu, ego hodie genui-
te. Hoc ab Augustino, Ambroso & aliis explicatur de ēter-
na filii generatione, ab Apostolis autem de Christi resurrec-
tione Act. 13, & sacerdotali oblatione Heb. 5. R. ut pe-
regrinus quorundam glossas taceam, distinguo, inter literalem
sensum & literalis sensus usum: ille semper est simplex & u-
nicus, hic multiplex & varius. 2. Tim. 3. v. 16. ad literam
dictum hoc loquitur de ēterna filii generatione, ut verbum
notionale, τὸ γίγνεσθαι ostendit, & eleganter Cyrillus de recta
fide ad Theodosium tom. 2. fol. 690 deducit, consequen-
ter autem & illative exinde probari potest, tum Christi sa-
cerdotium, tum resurrectio, salvo per omnia literali, quem u-
num agnoscamus, sensu. Ideo enim filius hominis à morte tene-
ri non potuit, quia est filius Dei viventis Matt. 16. v. 16, ac
proinde mortis victor & Dominus. Unde etiam Apostolus
Rom. 1. v. 3, dicit, Christum resurrectionē mortuis declarā-
tum esse Dei filium. Deinde, cum filius Dei sit primogenitus,
jure ei debetur Sacerdotium, quod lege ad πρωτόκλης pertinu-
isse U. T. Pandecta testantur. Secundus, quem producit,
locus est ejusdem Psalmiv. 12 Oculamini filium. Verba
enim Hebreæ בְּשַׁקְרֵב ad literam varie exponi posse con-
tendit, ut 1. adorate filium. 2 adorate pure. 3. osculamini tri-
ticum. 4. apprehendite disciplinam. R. Univoca & lite-
ralis verborum significatio hæc est: Oculamini selectum.
Verbum enim ποιητική propriè significat oculari. Gen. 31. v. 28.
& ss. 1. Reg. 19. v. 18: quia autem osculum subjectionis,
reveren-

reverentiae & amoris signū vel adjunctū est, ut patet ex Gen.
41. v. 40. 1. Reg. 19. v. 18. Gen. 29. v. 11. c. 45. v. 15. Act. 20.
v. 37, ideo μετωνυμικῶς, pro adoratione aut disciplina ponit ur,
prout ipse Bellarminus exponit lib. 2. de verb. Dei c. 2. &
13. & lib. 1. de Christ. c. 5. Judæi certè hoc honoris genus,
osculum, regibus suis deferebant, quo de vide 1. Sam. 10. v. 12
quin hodieq; adhuc obtinet apud Indos, ut subditi regem de-
osculentur, ait Abenezra. Persæ quoq; regum suorum &
manus & pedes deosculabantur, ut est apud Xenophontem:
unde morem pedes osculandi Persicam servitutem appellat
Seneca in 2. de beneficijs. Præterea veteres deosculari
manum & capita submittere in adorando solebant: cuius mo-
ris meminere præter scripturam sacram Job. 31. v. 27, Apu-
lejus, Minutius Felix, & Plinius lib. 28. cap. 2, item Hiero-
nymus in Job. 31. v. 27. & in Ose. 13. D. Bernhardus
pulcrè triplex in sacris constitui osculum monet, & hoc
Psalmi loco unius dictionis fasce comprehendi existimat. I.
Pedum, quod adorationis, 2. manuum, quod homagii, 3. oris,
quod mutui amplexus. Triplici hoc osculo, non proditorio Ju-
daæ, Christum excipere debemus: Osculemur ipsum, primò
adorando, & genua nostra cum omnibus cœlestibus ac terre-
stribus, coram ipso flectendo, Phil. 2. v. 10: Osculemur ipsum se-
cundò, fædus cum ipso ineundo, fidemq; semel in baptismo da-
tam cum perseverantia ad salutem servando Matt. 10. v. 22:
Osculemur ipsum tertio, in amplexum illius ruendo, idq; cum
ad os & labia ejus, per quæ diffusa est gratia Ps. 45. v. 3, stillan-
tia nobis verba vite æternæ Job. 6. v. 68, crebro verbi auditu
& frequenti Cœna Dominicæ usu (verbum enim & Sacra-
menta os illud sunt Christi de quo Cant. 1. v. 1.) attendendo,
tum in membris Christi, omnibus piis omnis generis beneficiis
& fraternæ charitatis operibus succurrendo: sicut Apostolus

C

præci-

præcipit, ut nos invicem sancto osculemur osculo. 1. Cor. 16.
v. 20. 2. Cor. 13. v. 12. 1. Theß. 5. v. 25. Similiter בָּר (quo
Chaldaï frequentius utuntur) propriè significat id, quod pur-
gatum & propter id ab alijs selectum & separatum est. vide
Pf. 73. v. 1. Job. 11. v. 4. Unde Filius Dei rectè בָּר dicitur,
cum à peccatoribus segregatus sit Heb. 7. v. 26. Sic triticum
בר dicitur, quod dignitate & præstantia ab alijs frugibus
discretum sit. Quia autem Pf. 2. expreſſe de filio Dei loqui-
tur, & v. 7. est vox Hebræa æquivalens בָּן, ideo triticum red-
di nequit: ut sensus sit, osculum triticum, vocem בָּר (qua
quam filium significat, Chaldaica est) in ea significatione in
U. Test. hic tantum, & Proverb. 31. v. 2. reperiri, dum Pifca-
tor scribit in Pf. p. 11: alienis se, sed infeliciter, usum oculis, o-
stendit. Quanquam qui à non nomine adjicitur locus, è Pf. 24
v. 4. videtur esse alienior. Tertius, quem allegat, locus est E-
sa. 53. v. 8: Generationem ejus quis enarrabit, quia abscessus
est de terra viventium. Hunc locum Hieronymus, in commē-
tario, de æterna filij generatione exponit, quem ob id reprehē-
dit Lyra. Tertullianus I. 2. contra Jud, Lactantius lib. 4.
Instit. c. 18, Justinus tom. 2. oper. in dial. cum Tryph.
ad nativitatem Christi temporalem referunt. Sunt qui eun-
dem ad statum resurrectionis accommodant, teste Alph. d. I.
insuper inveniuntur, qui axioma Prophetæ de generatione
Christi passiva intelligunt, ut sensus sit: quis enumerare po-
test filias & filios spirituales, quos merito passionis suæ gene-
rabit. Ita Lyra super h. I. R. ego verò unicum esse loci
bujus, cuius tot producuntur expositiones, literalem sensum
ostendam. Inquiramus enim εἰς τὸ ἔνταῦ. vox Hebræa רֹזֶר,
qua est apud Prophetam, & à vulgato interprete, Luca & An-
drea Osiandris, Junio & Tremellio, ut & pluribus alijs, verti-
tur generatio, propriè significat atatem, durationem seu con-
tinua-

tinuationem vite, quam una cum alijs, quas in una societate
& commercio vivimus. vide Job 42. v. 17. Ps. 49. v. 20. Prov.
30. v. 11. Esa. 34. v. 10: et confer in hoc ipso capite 53, verba
versus 10: prolongabit dies. Sensus ergo literalis est iste:
Quis enumerare poterit, quam diu una cum suis victurus sit
Meßias? Hæc vero vita cum suis communio, an de duratione
vite Christi intelligenda sit in statu exinanitionis, an exal-
tationis, ulterius subindicat Prophetæ, dicens, quia abscissus
est de terra viventium. Hæc enim verba καὶ αἰτίεσσι intel-
ligenda sunt, hoc sensu: ex hac terra, quæ viventium dici-
tur Job. 28. v. 13. Jer. 11. v. 19, seu ex hominum viventium
vita quidem exscindetur Meßias, neq; eam ultra 33. annos &
paucos menses protrahet, sed è statu futuræ gloriae nunquam
exscindetur, sed in æternum cum suis vivet, & cōversabitur,
ita ut illam vitæ beatæ continuationem nemo enumerare
poterit. Hinc astimari potest, quantum à proprietate literæ
absint interpretationes alia, quas ipsas D. Pelargum simul
approbasse & conjunxit, exclusa tertia, quæ tamen omnium
verissima est, in schola pœnitentiæ p. 162, mirabuntur
procul dubio, qui viri istius judicio aliquid tribuunt. Quar-
tus locus est Joan. 11. v. 50: expedit nobis, ut unus homo mori-
atur, & non tota gens pereat. Hac ad literam aliter accipi-
untur à Caipha, aliter à B. Johanne. R. idem manet in
hoc dicto literalis sensus, sed per sensum istum literalem aliud
intendit Caiphas, aliud Joannes. Caiphas mortem Christi,
ad avertendam Judæorum perditionem temporalem: Joan-
nes vero eandem mortem, ad avertendam perditionem ater-
nam & spiritualem. Conf. Cyril. lib. 8, in Joan. c. 2. &
3. omne enim quod dicitur, ait Gregor. Magn. lib. 23. Mo-
ral. c. 3, quadripartitæ potest qualitate distingui: sicut ma-
la male, aut bona bene; aut malæ bene, aut bona maledican-
tibus.

C 2

6 Vidi

6. Vidimus exempla Salmeronis. Placet audire qui sententiam hanc illustret Goclenius Theologo - Philosophus Marpurgensis? Nomen Gallus, ait ille in problem. Rhetor. p. 219, literaliter & ἐγράψε de Gallo homine, natione nempe tali, & gallo ave dicitur. Cui verbo respondeo: si nomen Gallus utrumq; literaliter significat, duas esse voces, sed sonus & scriptio convenientes. Exemplis res illustrari potest, & causam Orator adduxit lib. 3. de Orator, quia tot non sunt vocabula, quōd res. Reliqua, quae Goclenius habet, aliō pertinent, referant huc ii, quibus placet omnia sub unam Myconum. Nos progrediemur ad

Q V A E S T . I V .
Quid in sacris denotetur, per LITERAM
& SPIRITUM?

1. Non quidem legitur, Christum doctrinam suam in literas propriā manu retulisse: id enim Prophetis, Apostolis & Evangelistis commissum fuit: quibus tanquam manibus, ut Augustinus de consens. Evangel. cap. ult. loquitur, usus est. Quemadmodum nec Christus ipse Baptismum administravit, licet Pontificij communiter, Maldonato excepto in Evang. p. 507. & 522. edit. anno 1611, Joanne Calvinῳ applaudente, scripturā tamen reclamante, Joan. 4. v. 2, id affirment.

2. Causam hujus satis ineptam dat Ammonius: satis alienam Cyrilus, Tertullianus, meliorem paulò, sed paulò tantum, Lyranus & Thomas; aptiorem autem proferri posse non dubitamus.

3. Hoc tamen in sacris reperitur, Filio Dei quadruplicem, quā ipse usus est, tribui scripturam. Scripturam nimirum I. in fronte, Ezech. 9. v. 4. Apoc. 7. v. 3. c. 14. v. 1. quam

v.i, quam vocare possis mysticam: de qua videbis Hieronymum
tom. 5. fol. 189, & eruditam disputationem Josephi Scali-
geri in animadversionibus Eusebianis, ad locum Eusebiani
numeri M DC XVII. Ea hujus quadantenus ratio est,
qua scriptorum FURTIVORUM, apud veteres, de quibus
Polydorus Vergil. l. 2. de rer. inventi. c. 9. II. Scriptu-
ram in terra: quam appellare possis digiteam, quia non sty-
lo aut calamo, sed digito Salvatoris facta est Joh. 8. v.
3. 4. & seqq, de qua vide Sextum Senensem Biblioth. sancti. l.
2. fol. 73. Causa hujus scriptiorum reddi potest quadruplex.
III. Scripturam in manu Esa. 49. v. 16, qua explicatur
Joh. 10. v. 28, quam nominare possis defensivam. IV. Scri-
pturam in corde Jer. 31. v. 33, in tabulis, ut signatè loqui-
tur Apostolus 2. Cor. 3. v. 3, non carnalibus σημειοῖς, sed car-
neis, σημειούσ. Hanc, quia à Christo, Spiritu Sancto, qui digitus
Dei appellatur Luc. 11. v. 20, & in animos hominum fit, &
homines in cultus divini professione animos reddit, vocare
possis animatam; vel ex oppositione Apostolica, non LITE-
RÆ sed SPIRITUS.

4. Quæ Spiritus & literæ oppositio in U. T. αὐτοὶ οἱ ξεῖ
non extat, sed propria est N. Test: quâ Apostolus tribus tan-
tum in locis utitur, Rom. 2. v. 27. 28. 29. c. 7. v. 6. 2. Cor. 3. v. 6.

5. Cuius verum sensum breviter inquiremus. Primo
veteres, Origenem lib. 6. & 7. contra Celsum sequuti, de
Spiritu & Litera varie philosophantur. Summa huc redit: Veterum, appli-
Literam esse sensum scripturæ literalem, spiritum, sensum spi-
ritualem, eumq; vel allegoricum vel tropologicum vel anago-
gicum. Contra, 1. Non quadrant hic epitheta Litera & Regulatur.
Spiritus 2. Cor. 3. v. 6. 2. Expositiones spirituales vulgo di-
ctæ, quæ extra scripturam inferuntur, speculationes tantum
sunt humanae; quâ commentandi ratione omnes cultus ele-

titii in ecclesiam in vecti sunt. Neq; ergo ei convenient, que
hic Spiritui Paulus assignat. 3. Multiplices sensus si pror-
fus & in omnibus approbandi, tota scriptura redderetur &
quivoca, ambigua, incerta, ex qua solidi nihil concludi posset,
gladius Spiritus S. gladius redderetur Delphicus periret Spi-
ritus S. officiū Joan. 16. v. 13, periret scripturā finis 2. Ti. 3. v. 19.
4. Confundunt glossatores hi scripturā sensum cū ejusdē usū.

florū.

¶ refutat.

Caspar Schwenckfeld
Nobilis Silesius
Danai.

¶ etiam refutat.

6. Secundō. Quidam per literam intelligunt in-
sacramentis rem terrenā, per spiritum rem in sacramentis
cælestem: ita Pareus in epistol. ad Roman. p. 215,
Piscator (alicubi à seipso devians) in N. Test. Com.
latin. pag. 860, cum sociis. Contra. Sacramentuminte-
grum constans non solā re cælesti, sed & terrenā, est signacu-
lum Justitiae fidei Rom. 4. v. 11, ex aqua renascimur Joan. 3
v. 5, panis eucharistie est corporis noivitiae I. Cor. 10. v. 16. Quo-
modo verò hæc quadrant ad literam occidentem?

7. Tertiō. Quidam per literam externum verbi &
sacramentorum ministerium, quod dicunt, nihil aliud esse,
quam in anem sonum & ceremoniam; per Spiritum autem in-
ternos raptus Enthusiasticos & suggestiones privati spiritus
accipiunt. Ita Caspar Schwenckfeld Nobilis Silesius (cujus sen-
tentiam publico encomio probavit anno 1527 Oecolampad.)
cum sequacibus. et huic inclinat Danaius ad 1. controv. Bel-
larm. pag. 2, literam explicans de ministerio ipso externo,
quo Deus, in lege vel evangelio prædicando, per homines uti-
tur, cum Christi Spiritus in nobis agentis efficacitate desti-
tuitur. Contra. Scriptura affirmat, efficacissimum esse
medium & organum salutis verbum Dei, sive legatur
sive audiatur: Beatus qui LEGIT & audit verba
Prophetie, ait Joannes Apocal. 1. v. 3. Conf. Rom. 1. v. 16.
¶ 10. v. 17, idem affirmat de recte usurpatis Sacramentis: de
Bapti-

Baptismo Tit. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26, de Cœna Luc. 22. v. 19.
1. Cor. 11. v. 24. 25, Raptus, sive Enthusiaſtarum veterum, aliiſ Messalianorum, de quibus in hist. Eccleſ. lib. 7. c. II.
Niceph. I. II. c. 14, sive Novitiorum, aliiſ Anabaptista-
rum, de quibus Sleidanus lib. 10. commentar, nescit scri-
ptura. vide Hebr. 1. v. 1. 2.

8. *Quarto.* Quidam tam literam quām spiritum simul de utroq; doctrinæ genere, lege & evangelio, prædicari ajunt, respectu diverso, secundum diversa objecta: ita ut litera occidens sit omnis doctrina legis & Evangelii, sive actio exterior, sine interiore Spiritus vel intellectu vel motu: Spiritus autem, eadem vel doctrina vel actio, si spiritualiter, i.e., corde toto & intimo suscipiatur. Ita nempe qua literæ sunt homini carnali, eadem sunt Spiritus homini renato, qui à Spiritu S. regitur. Explicationem hanc non pauci ex Orthodoxis amplectūtūr; quam ut non reprehendimus, sic ad textum Apostoli eam facere, affirmare non ausimus. Secundum ^{qua nec omnino} Apostolum enim litera nunquam dicitur vivificare, spiritus occidere; quin potius litera occidere dicitur non vivificare; Spiritus vivificare nō occidere. Litera enim & Spiritus, in oppositione Apostolica, non debent confundi, sed secundum proprios fines & effectus semper distingui.

9. *Quinta restat, eaq; vera sententia: quæ est Augustini lib. 15. contra Faustum Manichæum c. 8, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, & Ambrosii (si tamen commentarius ille est Ambrosii) per literam intelligentium legem Moses in vetustate naturæ exerentem & punientem; per spiritum, gratiam Evangelii liberantem, & per vitæ novitatem se ostendentem. Quam sententiam confirmo I. è Rom. 2. v. 27. & seqq, ubi litera prædi-
catur de carnis, Spiritus, de cordis circumcidione: illa exponi-*

Aliorum

qua nec omnino

Vero dīma. —

Ead litera.

Ead spiritus.

Ratione.

tur

tur vocinā; Act. 15. v. 1, hæc ē uāyyēlinā; Colof. 2. v. 11. 12. II.
ē Rom. 7. v. 6, ubi litera adscribitur παλαιότης; Spiritui ve-
rō nō uāyōtys. III. ex 2. Cor. 3. v. 6, ubi litera enuntiatur de
Testamento veteri, h. e, ut v. 7. explicatur, lege, quam Mo-
ses ipse Testamenti nomine indigitat, Exodi 24. v. 7. 8, eiq;
proprius legis effectus assignatur, qui est OCCIDERE;
Spiritus de Testamento Novo, h. e, ut explicatur v. 8, Evan-
gelio, eiq;
proprius Evangelii affectus assignatur affectus, qui est VIVIFICARE.

10. Unde simul patet ratio, cur, Apostolicā nomencla-
turā, Lex litera, Evangelium autem dicitur Spiritus. Bellar-
minus lib. I. de verbo Dei pag. 9. & 11, Legem ait vocari
literam, quia literis scripta erat. 2. quia literis contineat,
quæ sine gratia impleri non possint. Absurdum! Nam sic &
Evangelium esset litera occidens, tum, quia Paulus tunc id
scribebat literis, cum vetus Testamentum literam vocaret,
& alias quoq; scriptum est: tum, quia ei obedere non possumq;
absq; singulari gratia. Nos rem fasciculo comprehendemus:
Lex dicitur litera occidens. Nam ut litera quidem rerum
est significativa, sed per se planè inefficax ad præstandum id,
quod significat: sic lex sonat obedientiam, justitiam, vitam;
nihil a. horum præstat, non potest nos in vitam suscitare, sed,
ut lex Dei peccatum magis facit peccatum Rom. 7. v. 13, ita
nos in peccatis mortuos magis magisq; occidit, h. e, convincit,
condemnat. Lapidea sunt Decalogi tabula, conterunt cor no-
strum, non sanant. Evangelium dicitur Spiritus 1. propter
veteres ceremonias temporariae & in rebus crassis & corpo-
reis positas. 2. quia eo, cœu anima & Spiritu, vivificamur, &
ad spiritualem, Deo placentem obedientiam præstandam mo-
vemur. Litera datur, ut Spiritus queratur, quod litera impe-
rat, spiritus impetrat, per literam peccati agnitione, per spiri-
tum abolitio.

Quæstio

? dicitur Lex litera

Evangelium Spiritu

QVÆSTIO V.

An primores illi, de quibus Joan. 12. v. 42, ha-
buerint fidem justificantem?

Negativa plerisque probatur, etiam Theologis Orthodoxis,
qui primoribus illis veram quidem, sed tamen non salvificam,
verum historicam tantum fidem tribuunt: Quæ sententia
argumentis confirmari potest & multis & pregnantibus. Nos
auctoritatem horum interpretum non imminuentes, sed sepo-
nentes, affirmativam tuebimur. Pro qua modestè hoc propo-
no argumentum. Quod uni oppositorum in ipso oppositionis
actu sive tribuitur sive adimitur, id alteri oppositorum sive
adimitur sive tribuitur. At reliquis Judæis, in ipso opposi-
tionis actu, ibi fides adimitur, & quidem salvifica v. 39. Ergo
his primoribus adscribitur v. 42. Confer August. tom. 9. in
Joan. tract. 53. mihi p. 475.

QVÆSTIO VI.

Quid de magno Millenario, hoc est, de novâ anti-
qua opinione, circa felicitatem novi seculi, per mille
annos in terris futuram, sentiendum sit?

I. Quod Christus ante diem novissimum è cælo in hanc
terram fit redditurus, pios demortuos in hanc vitam resusci-
taturus, & cum ijs, ut & illis, quos vivos deprehensurus est, op-
pressis impiis, vitam deliciis corporalibus diffluentem, per
mille annos in terra exacturus, regnumq; terrenum, corporale
& visibile instituturus, dogma est, auctorem habens novellis
sequacibus dignum, Cerinthum, ut ex lib. 2. narrationum
Dionysij Alexandrini recitat Eusebius l. 3. c. 28. vide
etiam centur. Magdebur. cent. I. l. 2. c. 5. p. 484.
cent. 3. c. 4. p. 92. alii primum auctorem scribunt esse Pa-

D

pianus

piam Hieropolitanae ecclesiae Episcopum, Johannis Apostoli auditorem, virum judicij, ut Eusebius l. 3 hist. eccl. cult de eo refert, infirmioris, praetextu Apostolicarum traditionum in sententiam hanc abductum.

2 Cerinthum colluvies hereticorum insecura est, qui à dogmate hoc Chiliaſta dicti sunt: Philastrius eos Chiloneitas, Augustinus Miliarios, alii vulgo Millenarios, Damascenus à Pepuza urbe, quam dixerunt esse divinum quid, ipsamq; Hierusalem, Pepuzianos vocat.

3. Sed utinam hi tantum! nam & Patres nonnulli in affirmativam hanc abierunt, quibus Papias, Cerinthum, sequutus, traditionis specie imposuit, ut sunt, Justinus Martyr, Apollinaris, Tertullianus, Victorinus Pictaviensis, Nepos aegyptius episcopus, Severus, Coracion & Lactantius. Ipse Hieronymus, licet commentum hoc paſsim incessat, l. 4 tamen in Jerem. c. 14, non audere scribit se id damnare, propterea, quod multi ecclesiasticorum virorum & Martyrum illud dixerint. Augustinus etiam l. 20. de civ. Dei c. 7, illam opinionem vocat tolerabilem, si que Cerinthus de corporalibus deliciis dixit, de spiritualibus acceperimus, ac se quoq; aliquando illud fuisse opinatum scribit. ubi observa, quod Augustinus spiritualium deliciarum nomine opinionem Patrum à Cerinthi hæresi distinguit: quò & pertinet, quod Irenæus, licet Chiliaſtarum opinionem tueatur, in Cerinthum tamen lib. 1. adversus hæreses c. 25, propter ista dogmata, stylum stringat. Unde fit, ut quidam celebres Theologi pios illos veteres Cerinthiana portenta de corporalibus voluptatibus non fuissent amplexos statuant. haud tamen negarim, fortean aliquos veterum ad corporis delicias nimium sententias propendisse, ut patet ex manifesta corporearum deliciarum descriptione, que est apud Lactantium l. 7. c. 24.

pag. 597.

pag. 597. & seqq. Quod respicere Dn. Chemnitium crediderim, qui par. 1 L. C. pag. 5 de Irenæo Chiliaesticam hanc opinionem sequito affirmat, quod ERROREM ERRARIT IN FUNDAMENTO.

4. Mittamus autem veteres, & accedamus ad nostrum seculum, quod non minus ferax fuit tot curiositatum: Nam, ut eleganter inquit Commentator librorum Augustini de civ. Dei Ludovicus Vives: Nullares est, de qua liberius homines mentiuntur, quam de futuris, quoniam nihil nos audi mus libentius, etiamsi nisi falsum dici sciamus; ita favor in eos noster, qui futura jactant prædicere, licentiam eorum irritat & alit: usq; adeo in re mirabili vel voluisse dicere mirandum ducimus. Sic ille.

5. In horum ergo curiosorum vatum ordine primas nostrâ ètate tenuit Augustinus Weber, pellio, qui, referente Kylo Betuleio in comm. super Lactantium l. 3. c. 14, anno Christi 1530 Chiliarthicum, de quo Cerinthus præixerat, imperium sibi sumere ausus fuit, revelationum, quas jactabat, præstigiis, & se & alios decipiens.

6. Hic II. Syndromos habuit Anabaptistas eundem errorem avidè arripientes, de quibus est in Augustana confess. art. 17, & apud Dn. Chyträum p. m. in cap. 20. Apoc.

7. III. Idem error quibusdam placuit Pontificiis. Prodiit enim Landshutæ in Bavaria typis Wissenburgeri, anno 1524, liber, auctore Pontificio, anno 1519 scriptus, cui titulus, onus Ecclesie, in quo Chiliaestica illa opinio iterum in ecclesiæ proscenium reducta, à capite 61. usq; ad finem libri defenditur.

8. IV. Quibusdam Photinianis. licet enim Smal-
tius, l. de divinit. Christi c. 15. p. 95, Socinus in Mischel-
lancis

N^o 3
seclancis p. 50, sibi illam sententiam non probari scribant;
Socinus tamen addit, ex mente suorum, quos pietatis studio-
sos vocat p. 50, & vitam planè spiritualem degere, aut certe
degere perpetuò studere affirmat p. 69, istud regnum Christi
corporale futurum esse in terra, & quidem in ipsa Iudea, su-
per Iudaicum populum Hierosolymis, postquam nutu ac pro-
videntiâ Dei, urbs illa, in ea provincia, eodem loco, ubi antea
erat, instaurata fuerit, pag. 51. His quadantenus Brigh-
mannum annumero. Quadantenus dico; quatenus Iudeis
reditum, in terram Canaan pollicetur, in notis notis apo-
ocalypticis, passim.

9. V. Quibusdam Calvinianis. Johannes Piscator
enim solos Martyres ante universalem hominum resurrectio-
nem esse resurrecturos, & mille annis cum Christo in cælo re-
gnaturos, deinde vero reliquos homines è morte in vitam re-
vocandos esse scribit in comm. in caput 20. Apoc.

10. VI. Quibusdam fanaticis, ut, Johanni Erasmi,
in libro contra Tyræum de Antichristo, cuius senten-
tiam, Arianismo tamen excepto, quidam ante aliquot annos
repetiit. Meminit enim Dn. D. Cramerus part. 2. de re-
gno Christi p. 310, novæ ac subtilis cuiusdam doctrinæ
Chiliaistica commentatoris cuiusdam de regno evangelico,
cuius commentarius in primo ovo suppressus est, antequam
excluderetur. nempe statuit auctor ille, futuram esse omni-
modam, ante finem mundi, Antichristi, tum Turcici, tum Ro-
mani, παρολεθείαν, ecclesiam autem futuram esse Oecume-
nicam & Catholice evangelicam, deletis omnibus hæresibus,
cessantibus omnibus persecutionibus, pressuris, bellis, tyrannide,
idq; per mille annos, h.e., tempus benè longum, præcisè soli
Deo notum: in quo regni evangelici statu, rejicit, quicquid
Judaismum sapit, quicquid item dominatum politicum; o-
mnima-

minimodam præterea Diaboli ligaturam, quæ ad privatum
quemq; non admittit, corporalem Christi conversationem
tollit; corporalem itidem fidelium resuscitationem & judici-
ariam sanctorum administrationem hinc sequestrat: hoc est,
ut verbo dicam, Johannis Erasmi opinionem, primi auctoris
nomine suppresso, commendat.

ii. VII. Pertinent & hoc recentiores Judæi, quos
formam quandam Chiliastici regni, temporibus Mef-
siae, quem futurum fingunt, expectare, prolixè demon-
strat Buxtorffius in lib. de synagoga Judaica c. 36.
p. 511. & seqq.

12. IIX. Omnino autem pertinent huc novi Enthu-
siaſtae, qui Ezechielis Methi (alias Elias Sionis nominatur) ſo-
mnia amplectuntur. Tria ſtatuant, reformatores hi, mundi
ſecula, vel, totius mundi tempus, ductum Anabaptistarum,
de quibus Sleid. comm. l. 10. p. 277, ſequuti, dividunt
juxta numerum trium personarum in divinitate. Primum
ſeculum tribuunt Patri, quod cœpisse ajunt in prot-evange-
lii promulgatione: Secundum Filio, quod cœpiffe arbitrantur,
in ipſius adventu & incarnatione: Tertium Spiritui Sancto,
cujus ſeculi initium hoc noſtro tempore futurum, idemq; per
mille annos duraturum ſuſpicantur. Primum vocant vetus,
ſecundum Novum, tertium Noviſimum Testamentum, in-
cujus ſe ajunt versari limine. De felicitate regeneratorum
in tribus hiſce ſeculis diſtincte ita diſſerūt: in primo ſeculo ex-
ternum hominem in renatis fortiorem fuſſe interno; in ſe-
cundo ſeculo in renatis hominem internum fortiorem fuſſe
externo, nondum tamen plenè externum hominem fuſſe abo-
litum; in tertio autem ſeculo planè abolendum eſſe hominem
externum, ita ut hujus ſeculi renati non amplius poſt regene-
rationem peccare poſſint; unde, ratione perfectæ regeneratio-

nis, se in hoc tertio seculo ipsis Prophetis & Apostolis preferre non dubitant. Abolito autem peccato, in eodem seculo, simul ajunt aboleri mortem & quasvis peccatorum pœnas, deleri etiam impios, & sequi regnum Christi & Christianorum in terris, & cum eo, omnium rerum corporalium abundantiam.

13. IX. Semina sententia huic Chiliaстicae, ab Ezechiele Metho & sociis renovatae, vicina, in primis suggestum mustei illi
FRATRES DE ROSEA CRUCE, Die Jungen Propheten ex eorum tamē genere, de quibus Deut. 13. v. 1. 2. 3. quanquam non desint, qui fratres hos & Ezechielis Methi affectas unos velint esse, eosdemq; quod argumentis quibusdā, minus tamē, ut opinor, firmis, ostendere conantur. utiq; non modio, fratres hi, nō trimodio, sed ipso horreo, maximas nugas in editis hactenus chartis nobis admetiuntur: in quibus plus vanitatis quam veritatis, plus stolidi quam solidi. inter alia pollicentur novam omnis divini & humani reformationem, & redditurā ajunt in terras integritatem illā (tunc credo, cum redditum est Saturni regnum, de quo apud Poetam) que fuit ante lapsum in paradiſo, ubi simul futuri sint thesauri plus quam regii, palatia plus quam regia, & quid non? Nostro seculo ajunt, in confessione, quam ediderunt, p. 70, desinet omnis falsitas, servitus, mendacium, tenebræ. Seculi autem divisionem paulo aliter, quam ii, de quibus præcedente thesi diximus, nimirum per sensus instituunt, in d. confess. p. 72: Quædam, inquit, secula auditu rerum cognitionem sunt adeptæ, quædam visu, alia odoratu, alia gustu: his succedit seculum elocutionis, cum mundus à sopore suo gravi evigilabit, & obviam ibit novo soli orienti (puta magico, qui est mera caligo & hominum, ut Lucretiano uti verbo liceat, dementientium, mendacium) pedibus nudis, nudo capite, cum gudio, tunc erit seculum prædicationis; quod seculum pag.

59. &

59. & 63, sextam etatem vocant, hoc est, ut interpretor, regnum novum Chiliaisticum, quod, si fratribus hisce credimus, futuris adhuc temporibus, in terris spectabimus. Recte enim Chiliaстis Fratres hos jungi, & res ipsa arguit, & Dn. Libavius p. m. in continuatione inquisitionis in confessio-
nem Fratrum de Rosea cruce p. 21. art. 16, jam ante-
monuit.

14. Sententiarum facta enumeratio ostendit, novos
hos Chiliaстas, diversas & quinqꝫ quidem occupasse classes, &
sub quintuplici militantes vexillo prodiisse in publicum. Ad
primam classem refero eos, qui Christum corporaliter ante-
diem novissimum è cælo redditurum scribunt, & in hac terra
tale regnum terrenum per mille annos instituturum contem-
dunt, quale th. 1. descripsimus. Ad secundam illos, qui qua
generalius de terra à nonnullis dicuntur, specialius ad terram
Canaan, in quam Iudeos reducendos ajunt, restringunt.
Ad tertiam illos, qui solis Martyribus ante extremum diem
resuscitandis, millenarij alicujus felicitatem ascribunt. Ad
quartam illos, qui spiritualiter felicitatem hanc ita accipi-
unt, ut ad deletum Antichristum, extinctum Turcam, eversos
hæreticos, cessantes persecutiones, & ecclesiam Catholice eu-
angelicam hæc referant. Ad quintam illos, qui & spiritua-
liter & corporaliter felicitatem hanc interpretantur, ean-
demqꝫ nobis tantam, quanta ante lapsum fuit in paradyso,
ante extremum judicium, pollicentur.

15. Sententiis his conjunctim in genere opponimus
argumentorum triadæ. I. Si mille anni, & novum seculum,
quibus felicitatis jubar, quale describunt, expectandum est,
nondum incepere, consequens erit, ultra mille annos & lon-
gissimâ adhuc periodo, nostra tempora à die novissimi judicii
distare. At consequens est absurdum: quod præter illa scriptu-
rae di-

predicta, que in propinquo esse mundi finem affirmant, i. Cor. 10. v. 11. Apocal. 6. v. 11, inde confirmatur, quod pleraq[ue] va-
ticipia (pleraq[ue] dicimus, ob Postillatorum quorundam à 3 A. -
1400) impleta sunt, & que implenda restant, in ipsius imple-
tionis, vel initio, vel auct[us] versantur: qua de re vide, non, que
de signis diei extremi fabulosè Osorius tom. 5. Conc. p. 5,
Salmeron tom. 4. tract. 40. pag. 672, Gregorius de Va-
lentia tom. 4. p. 230 4, sed que appositi de iisdem Chun-
mannus Flinspachius in tractatu de conjecturis extre-
morum temporum, & D. Philippus Nicolai l. 1. & 2. de
regno Christi, cōmentati sunt. II. urgemuſ omnia illa scri-
ptura dicta, que miserrimū fore ultimi ſeculi ſtatū teſtantur
Mat. 24. Mar. 13. Luc. 18. & 21. 1. Tim. 4. 2. Pet. 3, que
cum millenaria novatorum horum felicitate conciliari ne-
queunt. Vel ita vis? III. de tempore ante judicium extre-
num dicit scriptura Hebr. 12. v. 6. 7. 8: Quem diligit Do-
minus, caſtigat: ſi extra disciplinam eſtiſ, ſpurii eſtiſ & non fi-
lli. Aſſumo: Novatores hi erunt, mille hiſce annis, vel ſeculo
hoc, ſi modò verba fides ſequatur, extra omnem crucis diſci-
plinam, ante extreum judicium. Ergo coram Deo ſpurii
ſunt, & non Filii.

16. In ſpecie PRIMÆ ſententiae, de regno Christi &
Christianorum terreno per mille annos in terris futuro, que
Hieronymo referente, lib. 18. in Eſaiam, ſtatiſ poſt Apo-
ſtolorum tempora, à Dionyſio Alexandrino refutata eſt, im-
præſentiarum oppono I. Regni Christi proprietatem:
Illiud enim non eſt de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. Luc. 22. v. 25,
ſed ēnregno z. Tim. 4. v. 18, in excelsis, Hebr. 1. v. 3, in cœle-
ſtibus Eph. 1. v. 20, in cœliſ Hebr. 8. v. 1. II. Regni Chri-
ſti unitatem: Illud enim unum eſt. Unde in ſacris ſingulari-
ter dicitur, Christi regnum, non autem regna. vide Ps. 45,

Ps. 45. v. 6. 1. Cor. 15. v. 24. ergo geminum non est, spirituale sc̄. & corporale seu mundanum. III. Substantialem mundi corruptionem. Nam cœlum & terra, statim post Domini adventum, & iudicis esse desinent. Matt. 24. v. 29. 30.
35. 2. Thess. 1. v. 7. 8. 2. Pet. 3. v. 10. 11. 12. Qui ergo, postquam Christus advenit, p̄ij, cum eo, in terra mille annos regnare poterunt? in terra, dico, quæ interiit? IV. Ultimi Christi adventus, quem scriptura tantum unum numero novit, descriptionem: Nam postquam in adventu Christi pii demortui sunt vivificati, mox erit finis, 1. Cor. 15. v. 23. 24, finis, scilicet, non spiritualis & cœlestis regni Christi, ut Socius vult in miscell. p. 63, hoc enim aeternum est, Luc. 1. v. 33, sed hujus seculi. Seculo ergo hoc finito non regnabit in hoc seculo. V. Universalem omnium hominum resurrectionem. Fiet enim illa in die novissimo Joh. 5. v. 28. c. 6. v. 39.
40. 44. 54. c. 11. v. 24. at non fieret in die novissimo, si ante illum pii essent in hanc vitam revocandi, ut mille annis cum Christo regnarent. VI. æternae & raptus conditionem.
1. Thess 4. v. 17. Si enim in descensu Christi de cœlo mortui resuscitati & vivi reliqui rapientur in nubibus in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erunt, quod affirmat Apostolus, Ergo in illa descensione non descendet Christus in terram, ut in ea cum piis regnum terrenum instituat. VII. Impiorum usq; ad extremum diem Matt. 24. v. 4, & calamitatum v. 21. 29, durationem. IX. Locorum ex Apocalypsi Joannis collationem c. 2. v. 10. c. 3. v. 12. c. 7. v. 15. c. 11. v. 15. c. 14. v. 12. c. 19. v. 9.

17. SECUNDA sententia, eandem fovet, quam prima, absurditatem, & iisdem expugnatur argumentis, nisi quod felicitatem hanc Millenarij ad terram Canaan restrinxit, Iudeisq; tandem ab exilio reductionem, & postliminio

E

in pri-

in pristinas terre sedes restitutionem, promittit. Quædum
novatores isti spargunt, festivi admodum sibi videntur. at
ego video saltantes Camelos, dicebat ille. Nam manifestè Da-
niel negat urbem Jerusalēm reædificandam, negat hanc re-
ductionē, πανολεῖσαν autem populi Judaici ita graphicè præ-
dictit, ut mirer, in tanta veritatis luce inveniri, qui caligent.
vide Dan. 9. v. 26. 27, & confer Esa. 24. v. 19. Zach. II.
v. 6. Ogganiunt quidem multis scripture dictis, in primis ex
Levit. 26. v. 24. Deut. 30. v. 3. Esa. 11. v. 12, eaq; quasi NO-
VITER PRODUCTA fundamenta commendant. At oboni! Pellenæa hec vestis est: Fundamenta sunt non heri aut
nudius tertius excogitata, sed protrita: linum lino nec titur.
Vide ss refutationem potiorum, quæ adferunt, apud Galati-
num lib. 5. Cathol. veritat. c. 9. pag. 307. 308. 309,
Dn. D. Arcularium tom. I. disput. Marpurg. pag. 593.
& seqq, D. Helvicum in appendice elenchorum
Judaicorum thesi 22. & seqq, ut alios taceam. Nos, ut
brevissimis verborum spatiis rem totam comprehendentes,
multa non multis efferaamus, quintuplicis observationis phare
prælucente, potioribus, quæ huc usq; pro illa Judæorum redu-
ctione adducta sunt, fundamentis, facile satisfieri posse, judi-
camus. Nota ergo I. Quemadmodum Spiritus S. cultum divi-
num N. T. quandoq; describit nominibus ad legalem cultum
propriè pertincentibus Esa. 19. v. 20. c. 56. v. 7. c. 60. v. 7.
Malach. 1. v. 11. c. 3. v. 3. Rom. 15. v. 16. Phil. 2. v. 17. c. 4.
v. 18. 1. Pet. 2. v. 5, ita regnum Christi spirituale sepe de-
pingit, vocabulis rerum terrenarum V. Test., Typicè &
Metaphorice Mich. 4. v. 7. Ps. 15. v. 1 Ps. 24. v. 3. Quare er-
rant Novatores, dicta conglomerantes, quæ non res externas
populo judaico promittunt, sed sub rerum externarum simi-
litudinibus spiritualia Christi beneficia adumbrant. No-
ta II.

ta II. Quandoquidem restitutionis & instauracionis beneficia, Christi merito parta, fidelibus planè applicabuntur in vita eterna, ideo quædam Prophetarum vaticinia intelligenda sunt de hac vita per inchoationem, de secutura autem per complementum. Quod ipsum quoq; Novatores hi non attendunt. Nota III. Judæos tempore U. Testamenti ex cœlio reducendos esse in terram suam, si paenitentiam egerint, per Mosen & Prophetas Deus non tantum promisit, sed & tempore captivitatis Babylonica implevit. Insulfum ergo est, quod Novatores promissionum istarum complementum adhucdum expectant. An ignorant, vulgatum illud, quod Augustinum auctorem habet, de verbis Domini serm. 16, Distribuite tempora, & concordabit scriptura? Nota IV. Quale regnum Messie, talis & reductio: Regnum Messie est spirituale: Talis ergo judaica, in scripturis, reductio. Nota V. Congregatio reliqui etiamnum populi Judaici & gentium fidelium, respicit unitatem, non certi loci, sed certæ professio- nis & fidei. Unde porro simul patet, aliam esse questionem, quâ queritur, an universalis quædam & simultanea Judæorum conversio post ingressam gentium plenitudinem, sub finem mundi, expectanda sit, de qua olibi sententiam nostrâ exposui- mus. Certè non desunt nobiles Theologi, qui id ex Rom. II, v. 25, & aliis scripturæ locis, affirmant, neq; desunt qui negent. vide Luther. in præf. lib. de Schemhamphoras tom. 8. Jenens. german. fol. 119. Concedamus autem conversio- nem Judæorum universalis expectandam, quid inde No- vatores hi, pro Chiliasmico regno, quid pro novo perfectionis seculo futuro, exterebrabunt? Planè hæc extra organum & oleas: cum & gentium plenitudo nondum cœpto illo beatissi- mo, quem expectant millenario, in Christi regnum intrare cœperit, & adhuc quotidie intret.

Jr. de Univers
pl. Idem aet
finem mundi con
versione.

18. Contra TERTIAM sententiam ita concludo: cum ultimo Christi adventu immediate connexum est extremum judicium Matt. 25. v. 31, ergo soli Martyres, nondum resuscitatis aliis, non vivent post ultimum Christi adventum, (quem, ut dixi, scriptura non nisi unum numero novit) per mille annos, cum Christo, ante extremum diem. 2. in primis urgeo, quod Apostolus 2. Thes. 1. v. 7. 8. ἀποκάλυψεν Δομίνι de cælo & impiorum aeternam punitionem conjungit. & 3. emphasis in loci Apostolici 1. Cor. 15. v. 23. 24.

19. De QUARTA sententia, quia statim, ut prodiere coepit, suppressa est, neque ea, quam quidem se primum ostendebat facie, invenit amissos, monuisse tantum suffecerit. Fundamentis autem expugnatur & generalibus, & quæ primæ itemque quæ postremæ sententiæ opponentur, specialibus. De eversione verò Turcarum & Antichristi, in specie, an, quæ, qualis, quando, ubi, futura sit, quid habendum, è divinis literis alias, & rogati, in ipso disputationis actu, exponemus.

20. Felicitas, quam QUINTA sententia hominibus in hac terra, ceu insulis plus quam fortunatis, pollicetur, ea, & quam spiritualia, & quam corporalia, negatur, immo, quam spiritualia, vita aeterna unicè reservatur, Matth. 13. v. 30. 39. 49.

1. Cor. 15. v. 54. 2. Pet. 3. v. 13. Apoc. 21. v. 4. Quibus autem major fides, Deo, an his Novatoribus? Confer qua thesi 15. dicta sunt. et cum omnes sancti ante vitæ aeterna participationem peccatis obnoxii, Ps. 32. v. 5. 6, omnes homines mendaces, Ps. 115. v. 11. Rom. 3. v. 4, h, e, naturâ vanitati & inconstantiae subjecti dicantur, quos & quales hos Novatores, felici illo seculo, sive Platonis Ideali, sive Magorum intellectuali, sive aliorum exemplari, sive etiam, quod nullus explicet ab Etruriâ aruspex, prorsus fatali, futuros existimabimus, quando ab omni peccato, falsitate, mendacio, tenebris, im-

bris, immunes vivent: Scilicet, neque sancti, neque homines
erunt. Ego verò, ut de novis hisce flatibus, verius pythiciis furo-
ribus, quibus novi Roseæ crucis fratres, & qui ad similes
sunt alii, inflati, hac & alia nobis è sacrâ mysteria prædicunt,
candidè dicam, quid sentiam, eos pro Cepphi partu habeo: u-
bi præter inanæ plumas, & vociferationem satis fortem, soli-
da carnis aut parùm aut nihil habes. Quæ etiam causa est,
quod (an juxta illud Joan. 3. v. 20?) non apertis utuntur
verbis, & rem suâ fronte edifferunt, sed obscuris, perplexis, &
nigmaticis, insuper & dubiis, quæ ad plura, quin contraria,
referri possunt: non minus quam Deastrorum veterum ora-
cula. Ex illis natatoribus sunt, qui nusquam pedem figunt.
Recenset Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis in
Harmon. Evang. p. 842, quod quidam Anabaptista in
Belgio se esse Christum Regem Sion mentiti fuerint, quibus
neguer signa neque prodigia defuerint, per quæ hominibus quibus-
dam in fide non radicatis imposuerint, inter quæ signa fuerit
illud, quod apud eos rebaptizati, post sumptâ calicis cuiusdâ
potio[n]em, mox, cum hominum stupore, scripturas tenerent,
melius, quam qui in eis assidue essent versati. Adde, quæ proli-
xie de Anabaptistis l. 10. comment. Sleidanus recenset, &
cum Spiritu illo Anabaptistico confer illum Spiritum, qui
FRATRIBUS his novorum mysteriorum enodationem contu-
lit, certè minimè incertis indiciis apparebit, non ovum ovo-
tam simile esse, quam hi novi FRATRES, pristinis illis Ana-
baptistis. Qui et si conjecturâ mentis humanae aliquando ad
verum perveniant (quod sapient in hujusmodi prædictionibus,
in se alias vanis, propter incredulitatem hominum Deus eve-
nire permittit) in pluribus tamen, & nominatim, in aurea
hac futura seculi felicitate & beatitate falluntur. U-
bi miror subtilitatem, quâ felicitatem seculi futuri & præce-
denti-

dentium estimant iuxta varietatem sensuum. Nam 1. neq;
ex Danielis statua, neq; aliis scripturæ locis, quæ diversitatem
seculorum & regnum depingunt, hujus rationis, & ne qui-
dem divisionis in sex secularia Regna, vola est, vel vestigium.
2. Si sensus hic respiciendi sunt, quo-demum-cungs fiat sensu,
cur tactum omittitis? 3. Cur non potius interiores sensus & fa-
cultates mentis proponitis, cum horum sit cognitio veri, falsi,
virtutum, vitiorum? 4. Cur secula in sensus tribuitis singu-
los? an, quo tempore, odoribus homines occupati erant, non
videbant nec audiebant? deficiente quodam sensu aliqua-
deficit notitia. 5. Si secula sensibus acquisivere notitiam,
quo sensu, vos, fratres, didicistis OMNIA illa, præterita, pre-
sentia, futura? quo sensu aureum illud seculum cognovistis,
quod enuntiationi destinatis, in quo Paradisi felicitas, re-
ditura sit? Sed forte quid abstrusius latitat in mystico hoc De-
mocriti puto. Ego autem contra verè sentio, & firmiter sta-
tuo, quod magna pars falsitatis, servitutis, mendaciorum, te-
nebrarum, evanescet, cum vestra societas destructa erit;
tantum abest, ut ejus beneficio, falsitatis, servitutis, mendacio-
rum & tenebrarum destruc*tio* nobis expectanda sit. Meros
enim dolos feritis, dolos metitis, pirsatis, coquitis: Omnia ve-
stra diabolismum oalent, ut hircum Gorgonius.

21. Et tamen spicula objectionum petunt, non tan-
tum è Sibyllarum prædictionibus (quibus etiam præter alios,
Fesuite, quanquam in alio arguento, nimium tribuunt) &
Apostolicis traditionibus, sed & ex sacris literis, iisq; quam
plurimis dictis, quidam Novatores, quibus felicitatem &
spiritualiem & corporalem, non minorem, quam quæ Para-
disi fuit, in MILLENARIO FUTURO probent. Omnia
excutere hujus non est loci. Protraham tantum in lucem,
quæ ex ordinaria sede locide Regno Millenario, nempe ex

cap. 20.

cap. 20. Apocalypses, petuntur, daturus operam, ut enervem
imò protelem illa tela. Primaria sunt & difficultate
non carent. Ex hoc loco enim factum est, ut an Apocalypsis
in Canone esset, malè loci interpretatione decepti, viri etiam
boni dubitarint: quemadmodum nonnulli & Epistolam ad
Hebreos, quod pro Novatianis facere videretur, pertinaci-
mè repudiarunt, simul & falsissimè.

22. Quia ergo Apocal. 20, si rem ipsam attendas, bis
(& si syllabarum apices numerare velis, sexies) mēntio fit
mille annorum: nam mille annis dicitur Diabolus ligandus
v. 2.3, pii autem cum Christo mille annis victuri & regnaturi
v. 4; & seqq., hinc duo argumenta deducunt. Videamus
PRIMUM. Ajunt v. 2.3 prædictum esse, Satanam ab Ange-
lo catenā magnā, per annos 1000 ligatum iri, ac projiciendum
in abyssum, ne seducat amplius gentes, donec consummen-
tur mille anni, quibus exactis solvendus sit, modico tempore.
Hæc Diaboli alligatio cum demonstrari non possit quod facta
sit, ergo cum aurei illius (sive tertii sive sexti) seculi initio
& brevi quidem futuram autumant. Respondeo 1. alieniores
textus explicationes, quales sunt 1. Augustini lib. 20. de
civit. Deic. 7. & 8. 13, quem sequuntur Beda & Anshel-
mus in commentario. 2. illorum, quos Lyra in commen-
tario citat. 3. ipius Lyrae, 4. Johannis Viterbiensis in com-
ment. sup. Apocal, 5. Bennonis Cardinalis in vita & re-
bus gestis Hildebrandi, quam etiam probant, Franciscus
Junius tom. 1. oper. p. 1372. & in notis Biblicis, Pola-
nus tom. 1. syntagm. pag. 878. edit. anno 1612, Pa-
reus in comm. 6. Theodori Bibliandri, 7. Riberæ, 8. An-
dreæ Cæsariensis & Blasii Viega, 9. Sebastiani Mezeri, 10.
Benedicti Aretii, 11. Raphaelis Eglini, 12. Conradi Graseri,
in plaga regia pag. 216, 13. Alcasaris, 14. Cotterii, in
commen-

commentariis. 15. aliorum, quorum nomina, gravi de cau-
sa, tacemus, planè rejicimus. 2. Tolerabiores & aptiores,
quales sunt, i. D. Lutheri præfat. in Apoc, quem sequitur
Roderus cōtra Biblia Herbornens. p. 186. 2. D. Philippi Nicolai
l. 2. de regno Christi p. 268. & seqq. edit. anno 1607.
3. Andree Osiandri in not. Bibl. suo loco relinquimus. Quid
ergo tandem è Dicam. 3. illi omnium sentiunt rectissimè, qui
expendentes illud, quod Diabolus primis trecentis annis im-
peratores Ethnicoꝝ & Romanos præsides ad horribiles Chri-
stianorū persecutiones impulerit, ut tū temporis vix ligatus
fuisse dicatur, illos 1000 annos ab imperio Constantini Magni,
circa annum Domini 300, quando Constantinus ad imperii cul-
men pervenit, & Christianam fidem suscepit, inchoat: sub quo
pax ecclesiæ data fuit, & persecutiones quieverūt, ut respectu
gentium, de quibus Apocalypsis, Satanas tunc fuisse videatur
vincitus, non ligatur à illâ generali, de qua 2. Pet. 2, quâ fit, ut
Diabolo non liceat pro arbitrio grassari, ut patet ex initio hi-
storiae Jobi & Matth. 8. v. 31, sed speciali, quæ notat condi-
tionem Diaboli à Regimine Magni Constantini sub ecclesia
N. T., hoc est, talem, ut ipse textus explicat, coercitionem,
quâ non liceat ei ita, ut antea, genus humanum seducere, &
in Christianos pro libidine, perinde ut antea, savire, & ido-
lolatriam suam GENTILEM persecutionibus amplius
propugnare. Initio ergo annorum istorum mille facto ab
Imperio Constantini, circa annum 300, quo tempore, respectu
Ethnicorum Cesarum, in quibus Satanus furere desit, ligat-
tus, & Ecclesiæ millenaria à persecutionibus gentilium quies-
concessa est, finis incident in annum Christi 1300. tunc namque
Satanas iterum solutus, Otomannicam familiam excitavit,
sub quo Log & Magog, id est, Turcicum imperium, maxi-
mum acquisivit robur, & gens illa Sarracenica majori quâna
antea

anted, conatu adversus Ecclesiam s̄eviit, maximā justa & florentissimā orbis parte occupatā, & tandem Constantino-
poli, quæ imperii orientalis sedes fuit, captā. Interjacent ergo mille hi anni inter duos maximè illustres Monarchas, Con-
stantinum Magnum, & Otomanum primum Turcarum
Imperatorem, Tyrannum crudelissimum; quorum ille finem
persecutionibus veteribus imposuit, hic initium persecutionis
novæ fecit: ille pacem Ecclesię reddidit, hic gravissimè eam
cum successoribus affixit. Vide in primis Johannem Bapti-
stam NiZarium Brixensem, in discursu de futura victoria
contra Turcam, qui liber legitur apud Wolffium centur. 16.
memorabil. pag. 884. Et quomodo tandem locus hic ad
Novatorum quorundam hypotheses quadribit, qui UNI-
VERSALM mundi Reformationem, deletis impiis, pol-
licentur? Nam dicitur quidem in textu, mille annis ligandum
essē Satanam, & hactenus amœnum fuisse seculum lar-
gior: sed additur: postea Satanam liberatum, seducturum.
Quos? Gentes, Gog, Magog. Vides supererunt ergo
gentes, nec ergo erit universalis mundi reformatio, quam
novatores fingunt, pingunt.

23. Interpretationem, quâ à Constantino Magno ad
Otomanum usq; mille hi anni extenduntur, everti non pos-
se, certissimi sumus. Dices: Immo contra eam Novatorum
AD VOCAT U S Joannes Piscator in apologia contra Ro-
derum pag. 304. 305, argumentum protulit, quo annos ho-
scē mille nondum (scripsit autem Piscator illam apologiam
anno 1608) incepisse evincit. Ita colligit: Mille annis Sata-
nas ligatus erit, ut gentes concitare non possit contra Eccle-
siam. Id enim ait textus. At tales non sunt illi anni, qui in-
terjacent inter Constantinum Magnum & Otomanum:
nam & post Constantini tempora variarum bæresium rabies

F

Eccle-

Ecclesiastiam aliquando etiam belli saevitia eandem afflxit, nec
ulli alii mille anni superiorum temporum nominari possunt,
ubi Ecclesia hanc quietem senserit. Ergo mille anni superioribus
temporibus impleti non sunt, sed eorum impletio restat.
Resp. Audio strepitum, quem purgatae aures non reformi-
dant. Nos eum consopiemus. Nam 1. distinguo, inter seduc-
tionem Tyrannorum & hereticorum, vel falsorum fratrum:
inter seductionem, quae fit armis, & illam quae erroribus & ma-
tis exemplis: inter illam, quae corpora excruciantur, & illam,
quae scandala periculosa, rupta unitate corporis mystici, intro-
ducuntur: inter illam, quae fit aperto Marte, & illam, quae fit
per cuniculos, operata arte: vel, quod eodem recidit, inter
seductionem violentam & fraudulentam. De seductione
violentia loquitur Apocalypsis, de fraudulenta tuum argu-
mentum. Nam ut ex Augustini enarratione super Psalm. 9.
id dicamus: Prima Ecclesiae persecutio (puta, antequam
Satanas ligaretur) fuit violenta, cum proscriptionibus, tor-
mentis & caedibus Christiani ad sacrificium cogerentur; al-
tera fuit fraudulenta, quae per hereticos & falsos fratres
agitur; (puta, cum Satanus jam ligatus esset) tertia, Anti-
christi tempore (puta, soluto iterum Satana) & violen-
ta & fraudulenta est, vim habens in imperio, dolum in mira-
culis. 2. Distinguo, inter persecutiones generales Ecclesiae,
ab Ethnicis motas, & speciales quasdam turbas, quas cum
verbo per hereticos, tum ferro per Tyrannos dat Diabolus; de
illis loquitur textus in Apocalypsi, & testatur complementum,
de his Piscatoris objectio. 3. Præterea: alligatio hæc Satanae,
intelligenda est, secundum quid, in quantum gentes seduce-
re amplius, quo minus fidem Christi recipierent, & ad Eccle-
siam accederent, prohibitus fuit: ad quam Satanae ligatio-
nem satis fuit, quod propagationem Evangelii, apud omnes
gentes

gentes tunc per Tyrannos, Judeos, Philosophos, amplius impeditre non potuit.

24. Objicit deinde idem Piscator in commentar. latin. sup. Apocal. p. 1581, seriem prophetiae, quod Draco demum post abjectam bestiam in stagnum ignis, h. est, post Papatus totalem ruinam, legatur mille annos ligandus. infert ergo, mille annos nondum inchoatos esse, cum duret adhuc regnum Pontificium. Respondeo: Ne unū quidem comma solidæ veritatis exhibet nobis hæc ratio: distinguo enim inter ordinem visionis & ordinem temporis: abjectio bestie præcedit quidem in Apocalypsi, ordine visionis, sed non temporis. Totalis siquidem Papatus ruina, & in stagnum ignis abjectio, futura est demum in extremo judicio, ut finis præcedentis visionis ostendit, & Apostoli oraculum 2. Thess. 2. v. 8.

25. SECUNDUM, ex eadem Apocal. c. 20. v. 4. 6: ubi dicitur, sanctos, qui habent partem in resurrectione prima, fore sacerdotes Dei & Christi, ac regnatores cum illo mille annis. Illud de regeneratis futuri seculi pleriq. Novatores accipiunt, quos regeneratos, ajunt, per istos mille annos, quibus Satanas ligatus tenetur, ab omni peccato, morte, & alia quavis peccati pena liberos, cum Christo in hisce terris esse regnatores, & vitam omnibus deliciis abundantem ducturos. Argumentum tale erit: Si animæ decollatorum vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis, ergo Christus per mille annos in terris cum suis sanctis corporale & visibile regnum instituet, vitamq. omnibus deliciis abundantem ducet. At prius. Ergo. R. Elephantos vox porci, umbra infantes, rubens penna feras terret; timidissimo illi gregi adscribo, qui hoc moventur, moveri autem quosdam certum est, argumento. Frustra in his talibus figimus nobis ingenii cruem. Nam i. Quæ est propositionis connexio? Insanè vana.

F 2

Joannes

Joannes enim ait animas vixisse: adversarii autem de piis totis, hoc est, in vitam revocatis, animabus scilicet, suis corporibus unitis, explicant. 2. cum de decollatorum animabus hic sermo sit, anne decollati erunt fratres hi, qui regnum illud millenarium obtinebunt, & felicitatis illius roseæ participes futuri sunt? 3. Joannes non dicit, illud regnum piorum fore in terris: cur ergo hoc addunt de suo? 4. Tò vixisse v. 4 explicant adversarii, per tò resurgere ex morte. Alienè id fieri, sic probo: Tale vivere hic intelligitur, quod solis piis competit. Major est in verbis v. 5: cæteri vero mortuorum non revixerunt. At resurrectio, quâ suis corporibus redentur animæ, solis piis non competit, sed omnium mortuorum est communis. Minor est Dan. 12. v. 2. Ioh. 5. v. 28. vel hoc modo: Ejusmodi hic vita describitur, quæ animabus, statim ut à corporibus solutæ sunt, obtingit, ut est v. 4. At resurrectione, quæ comprehendit corporum resuscitatorum & animarum conjunctionem, in novissimo demum die futura est, non statim à morte obtingit. Ergo illa non intelligitur. Ergo aliud quid, scilicet, vita beata, & cœlestis felicitas, in quam animæ, ut ut Tyranni fremuerint, è vestigio, juxta Christi promissionem Ioh. 5. v. 24, pertransierunt. 5. per tò Regnare intelligunt corporale, visibile & terrestre regnum, conjunctum cum omnium deliciarum perfruitione: quod argumentis superius thesis 16 refutavimus: Nos (cum Flacio, qui parte i. clavis pag. 1026. n. 20. 30: Sancti, inquit, regnabunt, id est, felicissimè agent, bene beatèq; vivent) invisibile, & spirituale, cum victoria adversus diabolum, mundum, peccatum, infernum, & cum æterna beatitudine conjunctum regnum accipimus. Quam tò regnare acceptionem illustrat locus i. Cor. 4. v. 8.

26. Piscator tamen paulò pictius ornat hanc ollam:
quan-

quanquam quid veri, immo potius, quid non veri ejus glossa habeat, pateat è dictis. Ille ex hoc loco concludit: Martyres ante universalem hominum resurrectionem esse resurrecti, & mille annos cum Christo in coelo regnatores; deinde verò reliquos homines è morte in vitam revocando. Unde in commentario latino super Apocal. p. 1568, vocat felicitatem singularem martyrum Christi, qui ante illos mille annos fuerunt supplicio affecti, quod ante universalem resurrectionem resurrecti, & cum Christo in cælo, per mille annos, ante reliquorum resurrectionem regnaturi sint. Vide eundem prolixè p. 1581. 1582. Excutiamus autem paulisper hominis hujus glossas. 1. Joannes animarum duntaxat meminit: cur ergo Piscator hæc de animabus corporibus unitis accipit? 2. pugnat hæc glossa cum scriptura dictis, quæ omnium & singulorum hominum resurrectionem diei novissimo non præmittunt, sed in ipso die novissimo futuram tradunt. Joh. s. v. 28: veniet hora, in Qua (nota hoc, Piscator, in qua, non, ante quam) omnes (nota & hoc, omnes: ergo ne martyres quidem excipiuntur) qui in monumentis sunt, audiunt vocem ejus. v. 29: & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Similia vide Matth. 24. v. 31. Marc. 13. v. 27. Joh. 6. v. 39. 40. 1. Cor. 15. v. 22. 1. Thess. 4. v. 16. 3. Joannes in sedes collocat animas non solum decollatorum, propter verbum Dei, vel martyrum, sed eorum etiam, qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, neq; acceperunt characterem in frontibus aut manibus suis. Malè ergo Piscator, ut & Socinus in miscellaneis p. 60. 61, itemq; è Pontificiis Ribera in Apocalyps., de solis hunc locum expoununt martyribus. Quò etiam facit, quod felicitas illa, quæ hoc loco illis sanctis tribuitur, qui mortuis opponuntur, alibi,

in sacris, omnibus verè piis, & sanctis ascribitur, utpote quod secunda, h. est, aeterna mors non habeat in eos potestatem Apoc. 2. v. 11, quod sint sacerdotes Dei Rom. 12. v. 1. I. Pet. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6, quod cum Christo regnent, & in hac vita inchoativè 1. Joh. 4. v. 5. c. 5. v. 4, & in vita aeterna consummative Apoc. 3. v. 21. 4. Per mortuos, qui non revixerunt, Piscator & Socinus p. 61 accipiunt pios reliquos, qui non fuerunt coronati Martyrio: sed quâ ratione? cum v. 4. Martyribus etiam alii fideles conjungantur. Non ergo 5. Per mortuos intelliguntur fideles, sed impii, ii maximè, qui pios istos confessores nefariè trucidarunt: hos post mortem suam, spiritualem subaudi in peccatis, ait non revixisse, h. est, non vivere & regnare cum Christo, sicut electi cum Christo regnant & vivunt; vel, ut non ineptè alii, non revixisse per fidem, sed aut mansisse in Paganismo, spretâ fide Christi, aut, in Christianismo non resipuisse ab hypocrisi & sceleribus: sicut supra cap. 9. v. 20, locus hic exponi videtur. Pertinet huc, quod etiam alibi, in sacris, impii appellantur mortui Matt. 8. v. 22. Joh. 5. v. 25. 1. Tim. 5. v. 8. Eph. 5. v. 14. Apoc. 3. v. 1. Mors, inquam, innuitur spiritualis, non autem corporalis, se-
cundus, ac cum Piscatore aberrans, hoc loco Eglinus delirat in Apoc. p. 481. 488. Quæ & causa est, cur Joannes non sine emphasi dicat: hæc est resurrectio prima, seu spiritualis, à peccatis nempe: cuius descriptio, quæ Luc. 2. v. 34, Rom. 6 v. 4. Col. 3. v. 1. Eph. 2. v. 6. 5. v. 14 legitur, certa, & Augustino quoq; lib. 20. de civ. Dei c. 6 & 7 probata est, incerta autem illa, imò nulla, quam Blasius Viegas in Apoc. p. 79 s, comminiscitur. Pertinet huc, quidam volunt, quod Ebrai dicunt, resurrectionem justorum tantum esse, id enim dextrè de resurrectione ad vitam spiritualem accipendū est. Prima autem dicitur resurrectio, & 1. quia est prima, hoc est, nobilioris partis, ani-
ma &

ma: & quia fit in prima, hoc est, naturali vita: & 3 quia
debet precedere resurrectionem secundam, qua erit resuscita-
tio ad gloriam.

27. Nolo nunc plures, quas possem, annotare hujus
sententiae absurditates. Urget Piscator vocem donec v. s:
reliqui mortui non revixerunt, donec consummentur mille
anni: Unde infert, post mille annorum terminum istos mor-
tuos resurrecturos. R. Piscator vocem donec sumit pro
terminatione, cum accipi debeat, pro perpetuatione & conti-
nuatione. Adverbium, donec, hoc loco, infinitum tempus
notat, scribit Frater Piscatoris, Sebastianus Mejerus, in Apoc.
p. 86. edit. Tigurinæ anno 1603. Donec pro Nun-
quam accipio, ait Aretius in N. T. p. 619. Eas non limitat
tempus, sed simpliciter negat, ait Pareus in Apoc. p. 1095.
Et rectè. Sensus enim est: tamdiu non sunt revicturi, &
cum Christo regnaturi impii, quamdiu sancti vivent & cum
Christo regnabunt: Quare cum sancti in aeternum vivant,
& cum Christo regnent, sequitur, impios aeternum ab ista vi-
ta & regno fore extorres: Eos nunquam (spiritualiter) re-
victuros, hoc est, nunquam de peccatis pænitentiam acturos:
sed in iis ultimum diem obituros, & à morte prima ad secun-
dam transituros. Vox enim, donec, idem aliquando notat,
quod nunquam, ut Ps. 110. v. 1. Matth. 1. v. 25. c. 5. v. 26. c. 28.
v. 20. Gal. 3. v. 19.

28. Quærat quis, quanam ergo vera sit hujus loci ex-
plicatio, si non hæc Piscatoris, vel aliorum novatorum, supe-
rius recitata, est. R. Non adducam illas, quæ videntur alie-
niores, & legi possunt apud Lyratum & Ambrosium in com-
mentar. super Apocal. (si modò ejus est auctoris) Bla-
fum Viegam in Apocal. p. 793. 794, Alfonsum à Castro
lib. 3. contra hæreses de beatitudine hæresi 2, D. Phi-
lippum

a explicatio lou
Apocal. cap. 20.
v. 2 et seqq.

lippum Nicolai lib. 2. de regno Christi c. 1. p. 275. 276,
sed sic breviter me explico. Intelligi dico animas, cum pio-
rum martyrum, ante hanc Satanae alligationem, in persecutio-
nibus contra Christianos sub ethniciis Imperatoribus decolla-
torum, tum eorum sanctorum, qui Satanâ, ratione externa-
rum illarum Ethnicarum persecutionum, ligato, à PapiZ an-
tibus & Mahumeturientibus heresibus custoditi sunt. De his
animabus è corporum ergastulo solutis, & in sinum Abrahæ
collocatis, non autem de iisdem cum corporibus iterum unitis
loquitur Joannes. Et (quod probè notari velim) ipsa textus
series ostendit, describi conditionem, quam illis mille annis,
quibus Satanas ligatus est, animæ piorum, præter & contra
omnem Tyrannorum & hereticorum opinionem, utpote per-
secutionibus illis jam defunctæ ac soluta, sint habituræ. Hinc
& additur v. 7, cum consummati fuerint mille anni τὰ χιλια
ετη; ubi urgeo articulum αιφοεινον, qui nō semel hic legitur,
mille isti anni, quibus scilicet Satanas erat ligatus, & sancti
cum Christo regnabunt; tunc solvetur Satanas ex car-
cere suo. Quod miror non animadvertisse Brigtmannum,
qui cornicum in explicatione Apocalypses (ridiculè sapientem)
vult configere oculos: dum scilicet contendit, alios esse mille
annos, quorum v. 6, alios autem, quorum v. 4 mentio fit; an-
nos mille, de quibus v. 6, incipere, ubi ii, de quibus v. 4, desie-
runt p. 382. 383. Nam & aliis inconveniens est dicere,
sanctos cum Christo regnaturos soluto Satanâ: quin potius,
ligato Satanâ regnabunt, qui solutus regnare eos vix sineret.
Addo, quod judicium, de quo dicitur v. 4, distinguitur à
judicio extremo (quicquid contra contendat Blasius Viegas,
in Apocal. p. 792. edit. Colon. anno 1603) cuius ex-
tremi judicii descriptio subjicitur v. 11, & non cum alliga-
tione Satanae, sed ejus in stagnum ignis & sulphuris proje-
ctione,

ctione, connectitur v. 10. Sensus ergo est: Quod animæ pio-
rum Martyrum & confessorum à corporibus solutæ i. judici-
um exerceant adversus persecutores suos, à quibus
ipsæ fuerant judicatæ. Potest hoc intelligi i activè, 2 pas-
sivè, 3 subjectivè, & phraseos explicatio desumii ex Gen. 4.
v. 10. Hebr. 12. v. 24, in primis ex Ps. 72. v. 1. Apocal. 6. v. 9.
Sic contrà judicium alicujus auferri dicitur, quando quis ob-
ruitur injuriis, quumq; ii, qui illas intulere, impunè id ferunt
Job. 27. v. 2. c. 34. v. 5. Et procul dubio respicit Joannes ad
exempla divinorum judiciorum, circa Constantini tempora
in persecutores editorum, vindictam postulante sanguine
Martyrum, quæ ex historia Ecclesiastica collecta habes apud
D. Winckelmannum in Apocal. p. 434. 436. Sic Diocle-
tianus decimæ persecutionis auctor acceptis minacibus à Con-
stantino Magno literis atq; ignominiosâ Maximini morte ter-
ritus epoto veneno sibi ipsi mortem consivit. Maxentius fu-
sus à Constantino Magno ipius copiis, Romæ ad pontem Mil-
vium in flumine submersus est. Galerius, qui Diocletiani per-
secutionem continuavit, fædo morbo circa genitalia corre-
ptus, periit, ob injustas Christianorum cædes se talia perpeti
agnoscens. Maximianus crudelissimus Ecclesiæ persecutor,
eius aduersus Christianos crudelitatem ipsi etiam Etnici
execrati sunt, jussu Constantini Marsilia strangulatus est.
Licinius tribus præliis à Constantino vicit, vitam egit pri-
vatam, sed rursus res novas cum moliretur, jussu Constantini
jugulatus est, &c. Ita judicati Tyrannis, pax per Constan-
tinum Ecclesiæ redditæ fuit. Nec male Beza in annota-
tionibus majoribus p. 558, datum esse (his animabus) ju-
dicium, quatenus membra capiti conjuncta sunt, non autem
quasi Christi officium ad ea transferatur. Præterea de his
animabus 2 dicitur, quod vivant cum Christo, scilicet in
pace & gloria. explicationem desume ex Matth. 10. v. 28.

G

Sap. 3.

Sapt. 3. v. 1. 2. 3. &c. 3. Quod cum Christo regnent
mille annis, quibus expletis Satanás quidem iterum solvetur,
sed ab hoc felicitatis & gloriae cœlestis grādu eas deturbare non
poterit. Explicationis ergo vide I. Cor. 4. v. 8.

29. Pleriqus statuunt, mille annos, hoc posteriore loco,
per Hebraismum & usitatam in sacris synecdochen sumi, deo
tempore infinito, adeoque aeternitate, cum vita & regnum bea-
tarum animarum cum Christo omnis sit termini expers Mat.
25. v. ult. Et quidem Hebraismi hujus, quo rō mille notat
numerum magnum & infinitum, exempla ē sacris annotant,
ex Exod. 20. v. 6. 1. Sam. 18. v. 7. 1. Reg. 19. v. 18. Ps. 144. v. 13.
Dan. 7. v. 10. Rom. 11. v. 4. 1. Cor. 4. v. 15. Apocal. 5. v. 11.
Neque insolens est, uno eodemque capite idem nomen temporis a-
litter atque aliter usurpari. exemplum vide Dan. 7. v. 12. & 25.
Equidem non magnopere tantorum virorum, optimè de Ec-
clesia meritorum auctoritati refugabor, interim rectius, per
mille annos, hoc loco, videntur intelligi iidem, qui v. 2. & 3.
exprimuntur, & non alii. Illud enim series textus omnino
requirere videtur. Cum enim Joannes dixisset, Satanam per
mille annos iri ligatum (ubi vox millenarii aeternitatem no-
tare nequit, quia v. 3. & 7 dicitur, completis mille annis, Sa-
tanam solutum iri) mox subjungit, quae interim Ecclesia
(cum militantis, tum triumphantis) illis mille annis conditio
futura sit. vide quæ thesi 26. dicta sunt, itemque confer Augu-
stinum 20. de Civitate Dei c. 9, cum interpretatione no-
stra ferè consentientem: ut & quieum sequuntur, Bedam,
& Anshelmum in hunc locum. Et hac quidem hujus
loci esto explicatio, quam non dubitamus esse maximè genui-
nam. Utique juxta eam omnia concinunt, nodusque difficilis
dissolvitur, in quo solvendo tam multi interpretes desuda-
runt, eumque plerique, sicut Alexandro cum Gordio nodo con-
tigit, non tam dissoverunt, quam abruperunt.

QVÆ.

Q V E S T I O . VII.
An mundus secundum substantiam
sit interitus?

1. Mundum peritum esse, multis S. scripturæ U. & Novi instrumenti testimonio est testisimum. Illud vero discrepantibus disputatur sententiis: Utrum transitus ille propter corruptione, an a morte alteratione sit definiendus? seu, quod idem est, an mundus, καὶ σῶιαν, secundum substantiam, an vero καὶ ποιητας, secundum qualitates, sit interitus?

2. Quadruplicem invenio sententiam. Quidam n. litem hanc εποχὴν Christiana rectissimè dirimi posse, utpote cuius decisio rectius est futurae experientiae sensu, quam divinationum οὐεῖαι petatur, existimant, hoc est, ut verbo dicam, dubitant. Ita, quibusdam in locis D. Brentius, ita Herbradus, Mylius, Gesnerus, Hutterus &c; Quidam omnes creaturas renovandas, & quasdam igne purgandas existimat: juxta quos ne quidem bruta animantia, plantæ & cetera missa, quæ ad animalem hominis vitam sustentandam aut juvandam procreata sunt, essent destruta. Ita qui veteribus AETERNALES dicebantur. Eandem sententiam tribuunt quidam, in primis Pontificii, ut Fevardentius in 2. Ep. Petri, Lutheri nostro, ob verba, quæ extant in colloquiis mensalibus mihi p. 358. 361. Sed perperam. Neque enim verba Lutheri intelligi debent propriè, sed ad beatissimum statu indicandum, hyperbolice, quo sensu & in 1. Cor. 15, ait, in altera vita fore, ut cælum, si velis, merū aurū pluat, Albis gemmis fluat, arborum folia sint argentea, gramina & flores agri referat smaragdos. Ad finia his extant apud D. Philippum Nicolai lib. 5. de vita eterna p. 557 & seqq. Quidam nonnullas creaturas, præter homines, (cælū & elemēta intellige) instaurandas, quasdam, (bruta animalia, opera artificialia & reliqua missa intellige), penitus abolendas judicant, adeoque renovationem & immutationem

tionem tantum mundi statuunt. Ita è veteribus Origenes, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Theophylactus, Damascenus, Oecumenius, Gregorius Magnus, ex Orthodoxis superioris & nostri seculi, Lutherus, Brentius, Philippus Nicolai, è Pontificiis Pererius, Blasius Viegas, Gregorius de Valentia, Ribera, Bellarminus, Collégium Conimbricense, è Calvinianis ferè omnes, D. T. S. maximè excipio, qui sententiam hanc acriter impugnat tom. 2. p. 818. & seqq. Quidā omnes creaturas interituras statuunt, intelligentibus exceptis, quae primū ad immortalitatem conditæ fuerunt. Ita Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, & moderni Orthodoxi magno numero.

3. Nos ut prime sententiae, commodè explicatae, nullam dicam scribimus, ita postremæ, cœu S. scripturæ consentaneæ, nos adhærere non diffitemur. Nam I. urgamus manifesta scripturæ dicta Psal 102. v. 26 Job. 14. v. 13 Esa. 51. v. 6 Mat. 24. v. 35. Marc. 13. v. 31. 2. Pet. 3. v 10. 12. Apoc. 20. v. 11. Cum quibus, quomodo sententiam suam conciliabunt, qui in mundo hoc respectum tantum illum abolendum ajunt, quem mundus ad finem suum in hoc habet seculo, puta, ut generi humano per naturalem generationem propagando, atq; in primis Ecclesiæ Dei inde colligende tum hospitium, tum alia vitæ subsidia præbeat: quo fine cessante dicunt cessaturam ejus essentiam, non absolutam, sed respectivam; quemadmodum lapis manet lapis, etiam postquam desuit esse limes? hoc est, ut alii loqui malunt, interitum secundum accidens, non substantiam? Ecquis enim lapidem, cum limes esse definit, periire, aestuare, dissolvi, liquefcere & exuri dixerit? 2. Pet. 3. v. 10. 12, aut sicut fumum evanescere Esa. 51. v. 6? aut, quinam id, quod non aboletur, sed tantum renovatur, è memoria planè deleri,

deleri, nec amplius commemorari dicitur, ut Esaias de cœlo
hoc loquitur c. 65. v. 17? Quomodo stabit antithesis, quā
Christus cœlo & terræ interitum; verbis autem suis sempiter-
nam durationem adscribit; si cœli non modò interituri non
sunt, sed etiam in melius mutandi & an fidelium, quos judi-
cium hoc superstites deprehenderit, corpora, dum transmuta-
buntur, rectè quis dixerit interitura, & an vestimentum, cui
cœlos comparat Psaltes Ps. 102, dum veterascit, in melius mu-
tatur? Deniq; si homo, ut ait Job, non resurget, donec prate-
reat cœlum; sequetur, nunquam resurrectum illum, si nun-
quam interitum est istud. Job. 14. v. 12.

4. II. Quid? quod ἀφαρεῖται καὶ ἀγαπᾶται pars est ima-
ginis divinae, ad quam solus homo primum fuit conditus, non
verò ulla creatura hujus mundi alia. His ergo eam tribuere
nimis foret absonum.

5. III. Idem probat ratio à fine, quia hæc natura
ideo à Deo instituta est, ut sit domicilium hominis viatoris,
ad eoq; via ad Deum, tanquam in speculo, contemplandum.
Ubi ergo ille in patriam appulerit, ac viator esse desierit; nul-
lus hujus seculi amplius usus erit, ideoq; aptissimè appellatur
euangelia τὸ ζῶντα Matth. 24. v. 3. c. 28. v. 30.

6. IV. Addam & hoc: Si mundi hujus conce-
datur instauratio & renovatio: reliquarum etiam creatu-
rarum omnium restitutio statuenda foret: siquidem ratio da-
ri potest nulla, cur quædam tantum non omnes, cur hæ non
illæ orbis partes sint ab interitu vindicandæ.

7. De adversariorum objectionibus in ipsa disputa-
tione videbimus. Adhuc tantum hoc loco interpreta-
tionem loci ex Rom. 8. v. 21, præsertim, cum non modò fa-
stosus ille disputator, Martinus, in refutatione Antimar-
tinii D. Mentzeri pag. 1046 & seqq; eundem variis mo-
dis detur-

dis detur petet, sed & complures alii, qui non nisi accidentalem
mundi interitum concedunt, in eo tantum non triumphent.
Quid enim? Paulus, inquit, Rom. 8 creaturam nunc
vanitati subjectam, aliquando à servitute corruptionis libe-
ratum iri confirmat, ideoq; illas hanc liberationem cum ge-
mitu quasi appetere: quomodo verò dicerentur liberari, si in
nihilum evanescerent, & non potius in statum meliorem im-
mutarentur & renovarentur utiq; loci hujus Paulini tan-
tam obscuritatem quidam esse fatentur, ut de eo peculiariter
accipiant illam Petri commonefactionem 2. Pet. 3. v. 16:
nos verò eum simplicissimè exponi posse putamus, 1. distin-
guendo inter liberationem à corruptione, & liberationem à
corruptionis servitute: illa opponitur interitui substantiali,
& non legitur in textu Apostolico, hęc non semper, & in textu
legitur. Confer Rom. 6. v. 7. 2. distinguendo, inter restaura-
tionem, & à servitute corruptionis liberationem; non illius,
sed hujus tantum mentionem facit Apostolus. 3. Creaturas
rationis expertes à vanitate, cui subjectae sunt, satis vindicari
dicimus, ubi hominibus, quorum longe maxima pars iis ne-
quiter, & ingrato animo abutitur; inservire desierint. quo
pacto homo quispiam, etiam si cum Plinio & aliis, nihil aliud
post mortem se fore putet, quam quod fuit, antequam vive-
ret, non absurdè dixerit, se morte à miseriis & crūnnis, qui-
bus in hac vita conflictatus fuit, vindicatum iri. Quam in-
terpretationem nos 4. inde confirmamus, quod sermo Pauli
non ad cęlos duntaxat, aut nobiliores, quę conspiciuntur,
creaturas, pertinet, sed generatim ad res creatas omnes. Diser-
tè enim addit: Scimus, quod OMNIS creatura congemiscit,
simulq; nobiscum parturit usq; ad hoc tempus. Inter omnes
autem creaturas illas, pleraq; in die liberationis filiorum Dei
prorsus interituras, etiam apud eos, qui pro accidentalimun-
di inte-

di interitu pugnant, in confessio est: meteora enim, plantas,
brutasq; animantes cum cœlo & terra negant instaurandas,
qua tamen non magis ab eâ, de qua Apostolus loquitur, vindica-
tione; quam à nōis appellatio & ambitu excludi pos-
funt. 5. Declaremus rem exemplo. Vinum est nobilis Dei
creatura, & sacris decantata literis. Vino autem detestan-
dum in modum abutuntur ebriosi, ita ut in vino & carnis esse
commemoret Apostolus. Quæ extrema est vanitas, corrup-
tionis servitus, cui hæc creatura subjacet non volens, adeo
ut præoptaret (si quis vini, juxta Apostoli Protopopœiam, sen-
sus esset) planè non esse & in nihilum abire, quam præter na-
turam suam, horribili impiorū abusu subservire, & sic contra
suum conditorem quodammodo militare. ab hac servitute,
corruptionis liberabitur vinum in die revelandæ libertatis fi-
liorum Dei. Quomodo vero? Non ita, ut vinum duret in æter-
num, quod Mahometisticum esset somnium, sed, ut abolitione
sua liberandum sit ab horrendo illo impiorum abusu, cui in
hoc seculo erat expositum. Eadem cœli & terræ ratio est. Eo
ipso enim dum cœlu & terra, omniaq; alia entia corporea (ho-
mine excepto) esse desinent, in novissimo die, à servitute corru-
ptionis, cum non entis nullus abusus sit, vindicabuntur.
ad eoque textus Apostolicus cum substantiali interitu pulchre
congruit. Et 6. falsa est textus interpretatio, quâ quidam, ut
eo speciosiori prætextu argumentum hoc urgeant, utuntur:
quasi in textu Apostolico, idem sit, in libertatem filiorum Dei,
ac, ad similitudinem filiorū Dei. Neq; n. identitas instituitur, sed
generalis comparatio, cuius sensus sit: sicuti certa est libera-
tio filiorum Dei à sua vanitate, cui subjacent in hoc mundo,
ita certa erit creaturarum, à vanitate, liberatio; licet in mo-
do liberationis magna sit utrobiq; dissimilitudo.

8. Si queras, cur Paulus terminum liberationis à cor-
ruptioni

ruptionis servitute potius, quam vocem interitus posuerit,
Respondeamus fieri hoc non tam inde, quod in allegoria & hyperbole metaphorica persistere voluit, ut quidam putant, quam
quia talem adhibere phrasin voluit, que etiam de rationali
creatura praedicari posset, cui quidem liberatio, sed non interitus seu substantialis deletio in extremo iudicio competit.

9. Malè habet Martinium, citato jam scripto, quod vocem, creaturæ, in textu Apostolico, generalius accipimus. Videamus autem, quo argumento utatur. Quia nempe, angeli, utpote beatissimi spiritus, neq; vanitatem neq; corruptionem pati, neq; ingemiscere, neq; dolere possint, quod hic de creatura dicitur. v. 20. 22. Et hac in re, fateor, quod duces habeat Patres orthodoxos. Augustinus enim creaturæ nomenclaturâ, hoc loco, angelos comprehendi negat lib. 8 3. quæst. 67. Chrysostomus, Theophylactus & Ambrosius, de omni creatura irrationali & corporali accipiunt. Sed respondeo: etiam de bonis angelis, bonis, inquam, non malis, qui liberationis, cuius hic mentio fit, nullam spem habent, textum hunc commode explicari posse, ita, ut 1. angeli boni vanitati subjecti dicantur, & corruptioni, non suæ, sed hominum, quorum vanitati inserviunt. 2. ab hac liberandi, cum mundus totâ suâ vanitate peribit; & gaudium beatorum perfectum erit. 3. ingemiscere & dolere, suo quodam modo. Ut maximè enim humanos affectus, humano iis modo, non tribuamus: attamen cum latari dicantur Luc. 15. v. 10, super peccatoribus pœnitentiam agentibus, quin viciſſim, ob corruptum hominum statum, doleant, quin sensu miseria nostræ afficiantur, quin gloriam filiorum Dei, per quam ruinam suam sciunt esse reparandam, exoptent, non dubitamus. Confer

Apoc. 6. v. 11.


DEO SOLI GLORIA.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn757186661/phys_0059](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn757186661/phys_0059)

DFG



VÆSTIO VII.

ndus secundum substantiam
sit interitus?

em peritum esse, multis S. scripturæ V. &
testimoniis est testisimum. Illud verò dis-
tatur sententiis: Utrum transitus ille φθονα
xīoīa alteratione sit definiendus? seu, quod
dus, καὶ σώσια, secundum substantiam, an
as, secundum qualitates, sit interitus?
uplicem invenio sententiam. Quidam n.
Christianæ rectissimè dirimi posse, utpote cu-
futuræ experientiæ sensu, quām divina-
atur, existimant, hoc est, ut verbo dicam,
ibusdam in locis D. Brentius, ita Her-
Gesnerus, Hutterus &c; Quidam omnes
adas, & quasdam igne purgandas existimat:
dem bruta animantia, plantæ & cetera mi-
alem hominis vitam sustentandam aut ju-
a sunt, essent de situra. Ita qui veteribus
dicebantur. Eandem sententiam tribuunt
Pontificii, ut Fevardentius in 2. Ep.
stro, ob verba, quæ extant in colloquiis men-
.361. Sed perperam. Neq; enim verba Lu-
ent propriè, sed ad beatissimū statū indican-
quo sensu &, in 1. Cor. 15, ait, in altera vita.
elis, merū aurū pluat, Albis gemmis fluat, ar-
gentea gramina & flores agri referat (ma-
is extant apud D. Philippum Nicolai lib. 5.
57 & seqq. Quidā nonnullas creaturas, p̄a-
(& elemēta intellige) instaurandas, quas dā,
opera artificialia & reliqua mista intellige),
judicant, adeoq; renovationem & immuta-

G 2

tionem

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document